BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XL
B
24
NAPOLI

Xh
93
24


ICONES POETIC
Auctore
D. IOSEPHO SILOS
Bituntino
Cler. Reg.
MVSA CANICVLARIS

NAPOLI

# MVSA CANICVLARIS
SIVE
# ICONVM POETICARVM
LIBRI TRES
QVI CONTINENT,

*Icones Heroicas.*
*Icones Gentium.*
*Icones Varias.*

ET

## EPIGRAMMATVM
CENTVRIAE TRES.

Auctore D. Ioſepho Silos Bituntino
Clerico Regulari

Acceſſere ab eiuſdem Auctoris calamo

*Inſcriptiones aliquot pro Neapolitani SS. Apoſtolorum Templi Inauguratione,*
*Et Quædam Gentis Caracciolæ*

ELOGIA.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III
NAPOLI

ROMAE, Typis Heredum Franciſci Corbelletti.
Anno MDC.L.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

# LVDOVICO ANTINORO
## Cleric. Regul.
### *Ioſeph Silos felic.*

DAbis, Ludouice ornatiſſime, vt Poeſis hæc mea, quæ ſuæ tenuitatis conſcientia commune hominum iudicium, ac lucem timet erecta tuis auſpicijs, ac clientela, è domeſtico auctoris lare in publicum, ac ſplēdidiſſimum ſe ſe Muſarū Sacrarium inferat. Planè, qui ingenuam tuam indolē, candoremque animi eximium noui, læſiſſe nō minimùm mihi videor modeſtiam tuam; doleſque, fucum amiciſſimo capiti factum, quòd inſcriptum tuo nomine libellum hūc meum prodire in conſpectu litteratorum ſinam. At enim cum genius quidam, atque obſeruantię in te meæ authoramentum id mihi perſuaſerit; tùm peramica quædam vindicatio ea fuit. Enimuerò cum recitare interdum me de ſcripto è poeticis his nugis aliquot, te præſente, contigiſſet, vſque adeò fauit prona aure, ac aura humanitas tua; vt cum nunquam, quà priuatim, quà publicè laudibus ſubindè temperares, la-

boráuerit profectò meus non ſemel à prolixa,frequentique ea commendatione pudor. Itaque,vt inflictum à tua beneuolentia,ac facundia modeſtiæ meæ vulnus lueret tua viciſſim modeſtia, in animum induxi meum, vt has ipſas lucubrationes, quibus exiſtimationem, famamque non exiguã conciliaſti tuo ore,præclaro etiam nomine exornares. Et verò,quamuis peracerbè id ipſe tuleris,adduci nihilominùs nunquam potui, vt pigeret dedicaſſe. Si quidem quæ præcipua, ac florentiſſima pars eſt eloquentiæ,nempè Poetice,offerri vigilias ſuas, non niſi Viro eloquentiſſimo depoſcebat. Quo quidem loco, ſi in te ornando habenas laxem,veluti in Piſæo puluere, ſufficiet profectò currenti ingenio alacritatem vigorémque materia. Nec ſanè vereor,ne ſtyli facilitate, aut lenocinijs peccem; quando concentus famæ, conſenſus mortalium adſtipulantur. Nempè ea eſt tua in dicendo facultas,vt quicquid ipſe de eius, ſiue neruis ſiue actuoſiore elegantia dixerim,aderint ſtatim confirmandæ rei nobiliſſimæ Italiæ Vrbes, quas aurea planè dictione paſſim beas; celeberrimæ templorum orcheſtræ, in quibus domina-

minaris, theatra populorum, quæ plaudunt, iudicia eruditiorum, quæ probant. At cum iſthæc non admittat ſingularis animi tui moderatio; patere, vt eam duntaxat eloquentiæ tuæ laudem delibem, qua nuper Neapolitanorum aures, animoſque admiratione ſuſpenſos in noſtra Sanctorum Apoſtolorum Aede, in qua dignitate perindè, & moribus præes, detinuiſti. Opus excitaſti tàm morientibus, quàm mortalibus oppidò ſalutare: Certè vel ex hoc famæ immortalitatem ipſe promeritus, quòd in confinio mortis ſupremò laborantibus præſentiſſimo officiorũ præſidio conſuluiſti. Hanc Chriſtianæ pietatis partem, quæ langnerat iam, iuuatque pũctum illud monumentumque, vnde æternitas pendet impleuiſti egregiè, inſigni cum animorum compendio, ac fructu: inſtituto videlicet ſodalitio, ſancitis legibus, ſcriptis Diuis Tutelaribus, adornata ad omnem pietatem Sacra Aedicula, dedicata præſertim Saluatoris in Cruce pendentis, atque expiranti perſimilis ſupra omnem artis elegantiam Imagine: nempè vt ſpem, atque animos faceret morientibus Numen exanime, excitaretq. viuentium

in moribundos commiſerationem ipſamet moriens Vita. Poſtremò, vt quod fundaueras ipſe præclarū opus proueheres idem ipſe, ac vehementiùs inflammares; dicere è ſuperiore loco promeridianis, concionibus inſtituiſti. Frequentiſſima mox eruditis pijſque ingenijs ſubſellia, ſecunda panegyris admurmuratio, tum ingentes animorum motus ſtatim indicarunt, quæ inerat ori Pitho, quo ſententiarum pondere, qua vi, ardoreque facūdiæ perorares. Certè, cum nunquam tu ſine theatro, ac plauſu dicas, cum de morientium re agis, neſcio quonam pacto quid grandius, atque operoſius tua ſpirat eloquētia, videriſque profectò cycno non abſimilis, temperandis vincioris fati moleſtijs facundior. Aegeſiā ferunt, ad mortē vltrò ſibi conſciſcendam impuliſſe perſæpè auditores ſuos, dum declamaret; vſque adeò pallētes mortis vultus dictionis veluti florente roſa exornabat. Tu contra id diſertè conaris, dum dicis, ne qui cum morte luctantur, pereant. dum pereunt: qua quidem in paleſtra dum ſtrenue mortales certant, tibi plauditur. Perge, Ludouice Antinore, perenni iſta tua in moribundos pietate, quæ te vetat mori,

genus

genus hominum demereri. Perge expirantes animas, ſupremæque vitæ deliquia eo, quo vales vigore, ac præſidio linguæ erigere. Siſtam hic Ego, ne videar tuis laudibus velificare ſtylo voluiſſe: exploratum nanque mihi abunde eſt, à nemine te laudari, niſi ab eo vno poſſe, à quo vno non debeas. Interim exiguo huic meo operi, quod ſiſtendum tibi ex animo, tuoque nomini addicendum duxi ſummam eloquẽtiam tuam prolixè gratulor. Acceptum ſiquidem à te hoc qualecunque poeſeos donarium, fieri vix poterit, quin aliquem à tuæ orationis felicitate fructum demetat, niteatque magnificè tuo cultu: eò vel maximè, quod id eſt diſertiſſimis viris ſolenne ac proprium, vt quæ non ſunt ex ſe magna ac ſplendida, faciant, ſi linguis faueant. Vale.

# D. IOANNES GONZAGA

Præpoſitus Generalis Congregationis Cler. Regul.

HOc opus inſctiptum, Muſa Canicularis cum Elogijs Familiæ Caracciolæ à Reu.P. D. Ioſeph Silos compoſitum, cum iuxta præfixam aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, fuerit approbatum, vt typis mandetur, quoad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem preſentes litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ac ſolito noſtræ Congregationis ſigillo munitas Damus Romæ in Ædibus noſtris Sancti Silueſtri Montis Quirinalis. Die 27. Februarij 1649.

D. Ioannes Gonzaga.

*Locus ✠ ſigni.*

D. Ioannes Montoya Secr.

*Opus*

*Opus perlegimus cui Titulus, Muſa Canicularis, ſiue Icones Variæ P. D. Ioſeph Silos, imo noſtri ſæculi Apollinis, quo Parnaſum altiora extollere culmina, Muſam cordam tangere ſuauiorem, Pegaſum ſublimiori ſuperbire volatu, Hippocrenem puriores vidimus ſcaturire limphas; tãta eſt Auctoris ſublimitas in dicendo, claritas in explicando, & in pangendo ſuauitas. Hinc ne Cælorum concentui ſua deſint carmina; Hæc prælo committi firmiter exiſtimauimus.*

D. Franciſcus Boluitus Cl. Reg.
D. Ioannes Baptiſta Arata Cl. Reg.

Im-

*Imprimatur*, Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

*A. Riuald. Viceſg.*

*Imprimatur.*

Fr. Raymundus Capiſuccus Socius Reuerendiſs. P. Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Ami-

# Amico Lectori.

RAra auis eſt, amice Lector, qui latinis numeris hac tempeſtate in Parnaſum inuolet. Aeui profectò vitium, non ingeniorum, aut Phocidos ſterilitas eſt. Abhorret ab ea latinæ maieſtatis celſitudine abiectioris quidem ſpiritus, atque indolis ſeculum, ac peregrinæ eius dictionis vim, ac formas longè pulcherrimas cum nemo ſatis teneat, audit, ac plaudit nemo. Hinc ſilente fauonio, ſiluere cycni; ac paulatim latinorum poetarum natio, quam mortalium ſtudium, ac fauor aluit, perindè atque ſi popularis quædam lues, ac peſtilens ſydus afflaſſet, extincta videri penitus potuit. Scilicet, vt cæteris bonis artibus, ita & poeſi male nunc eſt; ac non ſine grauiore quodam ſenſu, morſuque inuidię recurrit ad ea tempora animus; cum non è communi modò hominum ſorte Helicon, ac Muſarum adyta celebrabantur, ſed ſplendore capitũ gratior cum eſſet Parnaſi vmbra, Conſulares, Trabeatæ, Auguſtæ vbique cytharæ perſonabant, miſcebantque lauros ſuas Poetæ, & Cæſares: adeò vt quantęcumque fortunæ capax videretur hauſtus ille Cœlo furor, ac diuina Muſarum mens. Ergò cum probè ſcirem, eò loci rem poeticam modò eſſe, vt cõformata hæc ad Quiritium limam, ac linguam carmina, à nemine probarentur, ſi lucem aſpicerent, neſcio, quid cauſæ fuerit, vt publicarem, adderemque nouenæ Iouis Soboli decimam hanc Muſam Canicularem. Planè quod neque publicæ lucis ſtu-

diuin

dium, neque prolixæ amicorum preces,ſiue blanditiæ euincere à me vnquam potuiſſent; potuit ſecreta quędam vis,qua velle coactus ſum, quicquid nunquam perſuaſerim mihi;fore vt vellem Sic nèpe homines regimur,vt eò nos interdum neceſſitas trahat,quò non iſſet ſua ſponte indoles. Iam verò, in hiſce pāgendis nugis ne me putes,Lector,nimiū, ac pluſquam addictum Sacrorum miniſterio, ſtudijſque grauioribus hominem deceat,immoratum. Libaſſe ex interuallo; ac ſubſeciuis operis amæniora iſthęc otia,quoddam veluti diſciplinę,atque ingenij laxamentum fuit. Pręcipua verò cauſa cur ad lyram identidem canerem,Bituntina Inflammatorum Academia fuit;, in qua authoratus ipſe olim, non capitum cenſum vtcumque auxi;verum etiam humaniſſima Academicorum ſuffragatione principem diù locum,ac faſces tenui; legeſque in eo eximio eruditionis ſenatu dixi,nomine tenus Princeps cęterùm ingenij, atque eloquentię facultate omnium longè poſtremus Planè nunquam ſubit animo eius Academię celebritas, quin obijciat ſe ſe mihi inclyti nominis, ac generis Fabritius Carafa, Antiſtes Bituntinus,qui pręclaro quodam impetu, ęſtuque gloriæ inflammatus ipſe egregiè eruditum iſthuc Inflāmatorum Athenęum ſuis in Aedibus, hoc eſt,in ipſo magnificentiæ conclaui,excitauit,Fuitq; ardor quidem ingenijs, lux verò nomini, famęque noſtrę. Haud eſt huiuſce meę dictionis per auream amplamque hanc laudum ſegetem ire; ſiue auita augusti ſanguinis decora,ſiue proprias animi dotes in eo ſpectem. Neque verò vnius duntaxat capitis elogia percenſere dicendus ille eſt, qui dilaudare

prę-

præſtantiſsimum Antiſtitem inſtituit; quando nemo non videt, prolixam Auorum ſeriem in vnum confluxiſſe Fabritium; ita vt non vnum quempiam è Gente Carafa, ſed Heroas magnę ſtirpis ſimul omnes quà indole humanitatis, quà regijs moribus, quà cultu virtutum, atque ipſa in primis animi celſitudine repręſentet poſteritati, ſpiretque in vna Inſula Bituntina multiplex illa clarorum nominum mens, ac ſpirituum generoſitas. At enim in hac laudum pręclariſſimarum elencho non vltima profectò ea eſt, quòd, inſtituta publica hac Inflammatorum Panegyri, Bituntinam ad omnem bonarum artium laudem erexerit iuuentuté. Nec omninò me Patrię affectus ludit; ad illos prouoco; quibus plaudere in theatro illo ingeniorum aliquando contigit. Deus bone, qui eruditionis flos! quę ſuadę medulla! Quot capita tot è Iouis capite excuſſę Pallades. Quot nomina, tot ſcriptę in Parnaſi cenſu, ac tabulis muſæ. Vnus olim in Gallica Academia Hercules, facundo auro, ac ore percelebris: hic verò quot Academici, tot Hercules ne dicam, an eloquentiæ monſtra? Sua cuique dicendi venus, ſuus ad inuidiam priſci ęui lepor, ſua Pitho. Verùm cõmemorare iſthęc ſine ſenſu animi peracerbo minus poſſum. Subit nanque mihi illata huic Academię tot illuſtrium animarum parentalibus clades. Heu fatale nimium Imflammatorum nomen; quando nil propius eſt, quàm labi in cineres flammam. Defleuimus publica quidem, ſolennique lachryma Marcum Antoniũ de Rubeis, quem ad Academię principatum euexerat muſarum conſenſus, atque ardens quædam vis animę eruditioris. Fortè immori

mori eruditę huic flammæ debuit ingeniorũ Phænix. Conclamauit ad hoc maximè funus ſuprema illa Sueuorum Regum lux, Conradinus, cuius ille tragico ſyrmate, ac ſtylo fatum ſplendide proſequebatur. Abrupto optimi Vatis æuo, ac carmine duplici ſe elatum funere indoluit Sueuus; Tragici nempè ſui, ac ſuo: nec acerbior illi gladius Andegauenſis, quàm eius mors: quippè ab cothurnato eo calamo ſperabat fore, vt rediret Orbi, ac ſceptro. Sed & tibi, amiciſsimum olim caput, acri planè deſiderio parentauimus, Bernardine Regna reſtinctá pene Inflammatorum fácem vidimus ab ea vi lachrymarum, quibus immaduere tui manes, ac cineres. Prænobilis ad litteras impetus contigerat Iuueni & ſtirpe, & indole perinde nobili; ac ſiue ſuis numeris flueret vena, ſiue ſolutiore periodo laxaret dictioni frænos, nihil illo elegãtius, nihil copioſius. Certè flaxanimo quodam ardore linguæ dominabatur noſtris in ſubſellijs Regna. Huius apis Atticæ inferias excepit Franciſci Mele funus. Quę inerat eius ſtylo atque ori ſuauitas, docet abundè cognomentum, Neſtoris melle delibutum. Nempè quamuis eſſet ab inſigni iuris prudentia iure dilaudãdus, muſas ita coluit, vt quoties dictaret, pangeretque ad latiam, etruſcamque lyram, ſudarent mero melle Parnaſi Laurus. At quo tandem iure diſſimulauerim Virum noſtri Ordinis ab omni doctrinarum genere inſtructiſſimum, Oratorem, Philoſophum, Mathematicum, Architectum, Aſtronomnm, Theologum, ac linguarum etiam corollario excultum? Is eſt Ioannes Antonius de Veritate, qui egregia ſanè ameniorum, grauiorumque mixtura ſtudiorũ Athe-

nas

nas conficiebat ſolus ipſe. Inſpiciendis aſtrorũ conuerſionibus, ac caſibus dum plus nimio vacat, occidit: hoc felix, quod antequam terras deſereret, Cœlo frueretur. Illuxere exequiarum iuſtis faces ſyderum, quæ contemplabatur, quo ſane nulli magnificentius, ac ſplendidius parentatum. Verum ad hæc extinctæ eruditionis buſta ſatis, ſuperque illachrymauimus; ne ſuperſtites; & qui ſuo nunc ingenio Academiæ famam ſuſtinent, ornet ſtylus, monet eorum modeſtia, & candor, cui nihil infeſtius, quam à laudatione purpura verecundiæ. Itaque in hanc ipſe Academiam adoptatus, euoluere doliolum meum perſæpe oportuit; atque in Apollinis Templo operari laureato illi Numini, ac Muſis cumque alia ex alijs carmina, ac poeticas lucubratiunculas per otiũ effundiſſem, aduerti excreuiſſe ſenſim opificium, ſuas in partes, ac veluti in membra diſtinctum; centuriatis inſuper non vnam in partem epigrammatis. Atque hęc modò in lucem prodeunt, auctoris quidem neque nutu, neque renutu. Nam qui, vti modò ſignificaui, fore mihi perſuaſeram, vt vel duo, vel nemo ea legerent, nihil inde laudis, ac lucis, nihil item deriuãdum dedecoris in Poetę nomen, famamque exiſtimaui. Iam, nomenclationem Operi facit Muſa Canicularis, Effuſa quippe magnã partem diebus canicularibus carmina, vt horas, ac æſtus fallerem, iure quidem ea ſibi vendicat mordens Caniculę ſydus: ardebitque ab eo igne ſaltem titulus, quando non efferbuit in pangendo afflatum diuina quadam mente ingenium. Sed neque nouitium inuentum id eſt, Muſæ cognomento inſcribi lucubrationes. Si quidem Hiſtoriarum ſuarum monumenta

M

numenta

numenta Herodotus,Epiſtolas Aeſchines,Rhetoricam Bion nominari,ſaulie à Muſis voluere.Id quod multò congruentius facit, qui poeticum Opus eò nomine inſcribit; Poeſis nanque in clientela potiſſimùm Muſarum eſt; iiſque debetur quicquid in Parnaſo neruorum,ac fidium intenditur. Poſtremò vides mi lector,non integrum à me opus dari.Enimuerò quòd ad Icones Poeticas attinet, ijs non ſuus modò cultus ac lima;verùm etiam & numerus deeſt. Statueram nanque apud animum meum, Heroas pręſertim longè plures condecorare ſua Laurea,ac frequentiſsimum Magnorum huiuſcemodi imaginibus Muſęum dedicare. Quapropter cernere eſt in exiguo eo Ducum cenſu inchoatam, adumbratamque vix Muſam à me dari,cui ſanè nō ea continget fama, ac plauſus,qui inchoatę olim Coę Veneri contigit. At inde fortaſſe gratior numerus,quod breuior. Interim velim ſcias mearum eſſe partium,hiſtorias voluere,ac concinnare:quod quàm ſit a Poetę inſtituto, genioque alienum, neminem fugit. Aduerſantur inuicem ſibi hi Iani vultus,quorum vni canicies grauitatem,alteri gratiam conciliat flos iuuentę. Quare temperes humanitate tua,quęſo Lector;quicquid hic eſt à Muſarum elegantijs,concentuque diſſonum. Vale.

ICONVM

# ICONVM POETICARVM

*Liber Primus,*

SIVE

## ICONES HEROICÆ.

## Pauli Quarti Pont. Max.

*ICON. I.*

PAule, tuos olim ſpirantes marmore vultus
Auſa eſt ſacrilega plebs temerare manu.
Phæbæus nunc ora labor temerata rependat,
Inclyta, & effigiem vindicet effigies.
Orbi frons redeat rediuiua, & priſca recenti
In tabula Latij ſtent ſimulacra Patris.
Flagret adhuc, moneat, totuſque in imagine Paulus
Ardeat, & Sanctus vibret in ore vigor.
Ergo agè, quæ virtus illi? quæ Patria? Genti
Quæ lux? cuncta notet ductilis arte color.
Parthenope, facili Cœlum quam fuſile riuo
Imbuit, & Cœli purior aura beat;
Clàra Ducum factis, quæ plurimus ore diſerto
Ad vada Sebethi concinit albus olor.
Primæuam Nato lucem dedit illa, viciſſim
Lucem hauſit tantis illa puerperijs.
At iubar hoc Patriæ Generis iubar auget, vt ardens
Plus rutilat ſydus ſydère, faxque face.
Multiplici Heroum ſurgit ſtirps aurea ramo,
Plurimus & latè ſpargitur inde nepos.

Creſcit Sylua atauum populoſa: immurmurat inter
Palmaſque, & quercus inclyta fama Ducum.
Aureum æquauit ſtirpem Carafa, & auito
Par Generi virtus, menſque operoſa fuit.
Eſt vigor ingenio; cauſaſque, & ſemina rerum,
Magna mente capax, ſummaque, & ima tenet,
Ingens nil latuit pectus; Sapientia latè
Imbuit immenſum ſacra profana ſinum.
Largiùs at flueret quò Pallas docta, ter amplo
Graius, Idumæus, Romulus ore fuit.
Vox hominem ſonat hinc triplicem; vena aurea fandi
Olli tergemino à fonte perennis erat.
Mox dominam florente æuo ſuccedit in Vrbem,
Vt ſua virtuti iuſta theatra forent.
Fama præit, Comes it Iuueni pietaſque, pudorque,
Et grauitas, Procerum conſequiturque fauor.
Heros Purpureus, latiſſ flos moris, & Vrbis
a Romuleæ, Gentis lux, geniuſque tuæ,
Inclyte Oliuſeri, venientem amplecteris vlnis,
Et roſeis libas oſcula pura genis;
Ore graui, vultuque legis, quæ crine ſub aureo
Virtus, quæ tenero in pectore cura latet,
Cognatas terit ille domos, & publica diſcit
Aulæ ſub tanto iura ſupercilio.
Romulis Aula placet, gens diſplicet aulica, quæ ſe
Dilaniat Ciuis ambitioſa ſuis.
Non animo candor, non illibata diſerto
Ore fides; fallax ludit amicitia:
Blandus & illecebras liuor ſtruit; officit vltrò
Officijs, Comis fronte, labriſque tenus.
Anxiùs è Domini nutu ſuſpenſus, & ore eſt
Aulicus, hoc illi nobile ſupplicium.
Non hæc Carafæ ſtudia laudata, fluuntque
Parca, ſed emenſis aurea verba modis.

Aulæ

Aulæ compta odit facilis mendacia, nugas
Blandiloquas procul & candidus ire iubet:
Otia nulla placent: viſus quà turba Quiritum
Ferueret, aſſidua voluere ſcripta manu.
Nec mora: in egregiam viſa eſt ire Infula frontem,
Sacraque flauentes nectere vitta Comas:
Præſule vitta minor, roſeo ſed grandior æuo,
Et præit Vrbanis faſcibus iſta chlamys.
Tum Patris Auſoniæ, Vaticanique Tonantis
Illum Parthenopem iuſſa verenda rogant.
Campanas arces cum Ferdinande reuiſis,
Regnaque depulſis inclyta filigeris.
Inde Caledonios petit Anglos: ſumma miniſtrat
Romulei hic Patris iura, regitque vices.
Crine micans flauo, pube aureus, ore decorus
Ambroſio, Henricus regia ſceptra tenet.
Condecorant muſæ formam, ſtudiiſque peractus
Flos æui, ingenio nuptaque relligio.
Scilicet inceſtas nondum Bolenia flammas
Ventilat, & Regi iura dat Angla Venus.
Ales Acidalius rutili non verticis aurum,
Tortile, non vernas hauſerat ore roſas.
Lethifer heu nimium Regno Regique Cometes,
Illa renidenti crine Puella fuit.
Caraſam probat Henricus, probat ille Britannum
Auguſtum, Pallas mutua vtrinque placet.
Abſcedit ſcena hac Heros, quo fabula circo
Plaudenda eſt tragico ſyrmate ſæua nimis.
Occiduam petit ille oram, quam fuluus inaurat,
Et Tarteſſiaco proluit amne Tagus.
Aula Virum, moreſque Viri miratur Ibera,
Oraque facundo pendula ab ore tenet,
Auſtriacam rerum molem vi mentis, & acri
Conſilio torquet Parthenopæus Athlas;

Hinc Te Romulidum ad latias Pater euocat arces,
  Expoliat praua vt tempora lima vigil.
Dum mores hominum cenſes, dum iura Latinæ
  Das Aulæ, Sordet nobilis Aula tibi.
Et ſinuoſa chlamys, Mæandro & picta retorto
  Carbaſus, aurato, & vertice ſordet apex.
Non cenſus Curæ, non auro illuſa ſupellex,
  Non famulis, luxu aut diuite culta domus;
Iuncta Thienæo dextra; ac iurata perenni
  Fædere mox ſecli relligioſa fuga eſt.
Felices Animæ, pietas quas nexilis vno
  Corde animat, ſolido, & Cælum adamante ligat;
Attalicas ridetis opes, diteſque, inopeſque
  Pauperies lauto fænore parca fouet.
Viuitis & paruo, at nunquam non menſa ſuperba eſt,
  Scilicet è Cæli depluit illa penu.
Fercula ſi deſint, mortales haud tunditis aures,
  Sydera, & æternas ſollicitatis opes.
Aſſiduas mactare aras, Cereremque verendam,
  Nectare dilutum lambere & ore Deum.
Pectere Ieſſæum pulchra vice barbiton, atque
  Aurita ad ſimiles aſtra vocare modos.
Inculpata flagris inceſſere membra, remiſtis
  Et lachrymis roſeo pingere rore ſinum,
Nunc tacitum exercere animum, nunc ſpargere curas;
  Nunc lucere alijs, moxque latere ſibi.
Hi veſtri mores: eadem hæc veſtigia, eodem
  Plena Deo, ſoboles poſthuma veſtra terit.
At, Carafa, vocant: te publica commoda, prenſant
  Te latij faſces, purpureique ſinus.
Ille Orbis Rector, Farneſius, ille precatur,
  Aſpicis? eſt ſupplex Purpura, prona chlamys;
Tu renuis, luctamque ornas; at cede Tonanti
  Romulidum; in magnis nam renuiſſe, ſat eſt;

Ful-

Fulgeat iniecto Sarrano murice virtus,
Signet & Auguſtum Vitta latina Patrem
Eccepaludatus ſcelerum lictor, chlamydata ſecuris
Hæreſeon, Cenſor purpureuſque fori.
Religio Nemeſim, mores habuere Catonem,
Normam Aula, Vltorem Sacra, Patremque fides,
Is prior Auſonij iuſſu Patris excitat ardens,
Perfidiæ vt mulctet ſemina, triſte forum:
Expedit & virgas, faſceſque, & carcere clauſo
Munijt indomitas multo adamante fores.
Scilicet Aenotriæ florentem adflauerat oram
Finibus Arctois eiaculata lues.
Parrhaſis Italiæ dirè calet Vrſa ſub Axe,
Fidaque lethali pectora dente petit.
Saxones, Vſſitæ, Caluinus, Beza, Superba
Prima mali capita hæc ſunt, fideique faces.
Romulus Alcides monſtra impetit, attonat ore,
Enſe micat, terret fronte, manuque ferit:
Et latè Auſonia dum circumſpectat ab arce,
Arcet ab Auſonijs effera monſtra plagis.
Dignus honor meritis hinc eſt; iamque auſpice Cælo,
Aurea tergeminum publicat Vrna Patrem.
Prona vocat Paulum Latia Vrbs, iam Romulus, Axis
Incubat Auguſti Collo, humeroque Senis.
En ſpirat vultu Numen; ſtat proxima Cœlo
Ceruix, iam terris iura dat, & Superis.
Ardet apex gemmis, hauſtus nitor aureus aſtris
Grandæuam rutilo conſecrat igne Comam.
Libarit quæ prima pedes effuſa Quirino,
Anglia, mutata religione, fuit.
His ille auſpicijs vacuas capit Orbis habenas,
Et fauſtam exhilarant Angla trophæa diem.
At non fronte rigor, nimium non igneus ore eſt,
Finxerat vt metuens conſcia Roma ſibi;

Vitia, non homines petijt; ſtant fulmina dextra,
Vt ſtet honor Sacris, perfidiamque domet.
Cætera nam Comis vultu, placiduſque videri,
Munerat & Populum ſplendiore manu.
Bella ſemel mouit metuendus Regibus, Orbis
Vt Vaticano ſciret adeſſe Iouem.
Inuitus capit arma, inuictus ponit, vtrumque
Et Pater armipotens, mitis & hoſtis erat.
Vicerit at Reges, miſcet cum prælia; victor,
Cum conſanguineos vindicat, ipſe ſui eſt.
Inclyta regnatrix Aulæ Domus exulat Aulâ,
Sic indetorto pectore, Paule iubes.
Attonita ſtat amor pharetra, dolet irrita tela,
Et fruſtra æratum ſollicitaſſe ſinum.
Mixtam auro gerit ille animam, liquidoque adamante
Imbutam, hinc ſenſu mens pretioſa vacat.
Dum Sobolem mulctat dempta ſibi luce Seleucus,
Clarius amiſſa luce pupilla micat.
Quique ſuum perimit Natum, præſtantius illo
Funere, quam torque à diuite nomen habet.
Laus eadem Paulo, exerto cum fulmine Patrem
Exuit, & latia pellitur Vrbe Nepos.
Tandem longæuus dum fama, & faſcibus Orbem
Temperat, eripiunt vltima fata Senem.
Et moritur, longoſque ſimul pubeſcit in annos,
Inſtaurat Cunas vrna, caletque cinis.
Hæc Pauli effigies, quàm ſat variauit, & vmbra
Artifici, arguto & lumine cura vigil.
Forte meum viuet præclara in imagine carmen,
Ducet & è tanti Principis ore decus.

# Sixti Quinti Pont. Max.

## ICON. II.

MAgnanimum iuuat hac tabula tibi ſiſtere Sixtum,
Spirat Apollineis inclyta imago notis.
Redderet egregios vultus vt linea, Phæbus,
Par erat vt radijs pingeret ora ſuis.
Picenum magnis Heros natalibus auxit,
Hauſit & immenſum Patria cuna iubar.
Vicit ſtemmia animo, clariſque Nepotibus ingens
Fecit Auentinis faſcibus ipſe Genus.
Comprimit ingentes animos ſub paupere tecto
Flore æui, diues pauperiore toga.
Intextoque latens cinere, & ſudauit, & alſit;
Nulla quies oculis, pectore nulla quies.
Docta ſuper pallet monumenta, libroſque perenni
Fronte rigat pernox, ingenioque terit.
Inclyta nec latuit virtus: vocat Infula, prenſat,
Infula Romuleo bis Saturata cado.
Mox ſeptemgemino ſublimem vertice Sixtum,
Dantem iura pedo diuite, Roma videt.
Quàm benè vittatis humeris ſtat Romula moles,
Erectumque caput nil graue curuat onus.
Cæſariem quæ ſerta premunt aurata verendam,
Infra animum, celſa mente minora iacent.
Iam fulua ceruice Leo viden arduus ardet
Stemmate, & auratas ventilat aura iubas?
Scilicet Aenotriæ, & toti vigil excubat Orbi,
Regius exerto nil timet vngue Leo.
Teſtes, intrepido preſſit quos pectore Sontes,
Et quos magnanimo terruit ore Duces.
Maieſtas redijt rediuiua, hoc Principe, & auro
Priſca inſtaurato Secla Quirinus habet,

Molibus æthereis & Roma ingentior, ipſa eſt,
Marmora quaque aciem flectis, & æra vides;
En teſtudinea qui ſurgit ad æthera pinna,
Et Vaticani templa Coronat apex.
Argumentum ingens artis, Cæloque Superbum
Mole gygantæa, & culmine certat opus.
Plumbeus aurato ſtat circum margine thorax,
Temnat vt irati tela triſulca Iouis.
Auro intus fornix ſqualet; Sectoque Lapillo
Splendet muſiua nobilis arte tholus.
Aſpicis at picto cum iuncta palatia templo
Tecta ſimul volucris mens Laterana petat;
Scilicet hæc gemina excelſi miracula Sixti,
Sunt hæc Auguſtæ bina trophea manus.
Vtraque gemmatis feriunt laquearibus aſtra,
Vtraque Phidiaco marmore culta nitent.
Grandia nec magnæ ſiſtunt molimina mentis,
Tergeminæ en celſa cuſpide Pyramides;
Inciſus tota Pharius ſtat mole character,
Ignota eſt latijs littera, cæcus apex.
Pyramis infracto viden incubat alta Leoni,
Pondere nec tanto feſſus anhelat Athlas.
Nimirum æternos Sixti ceruice triumphos
Suſtinet, & tanto gaudet honore Leo.
Syderea geminas memorem quid fronte columnas
Quas animant docta prælia ſculpta manu.
Mars furit imbellis, gelidoque in marmore feruet;
Quæ cecidit, rurſum ſpirat ab arte phalanx.
Aurea nunc Summo Simulacra in vertice fulgent,
Enſe illa, æternis clauibus illa micant.
Sic voluit Sixtus, Parijs vt fulta columnis
Aeterno ſtarent Numina præſidio.
Fige Quirinali Cliuo veſtigia; certant
Artifici hic Phidias, Praxitelesque manu;

Alipes

Alipes en ſolido geminus de marmore mordet
Frena ferox, niuea, & ſpumeus ora madet;
Inſiliunt ambo volucres, ardetque Superbum
Marmor, & immoto percutit vngue ſolum.
Sixte, triumphali curru ſublimis in arcem
Tarpæiam his poteris ſcandere vectus equis.
Tramite nunc recto pergas, qua diuite fluxu
Se ſecat in plures ductile flumen aquas.
Legifer Iſacidum frontem lunatus, & ora,
Dum iubet, & muto è marmore voce tonat,
In pluuias marmor ſpumoſum ſoluitur vndas,
Amplaque felici murmure vena fluit.
Quàm benè fecundus riguo fons murmurat ore?
Soluat vt in laudes guttura, Sixte, tuas.
Cogor at Exquilij viridaria culta vagari
Collis, & vmbriferi florea ſepta iugi.
Ruſtica mixta vides Vrbanis; ſplendida luxu
Hinc domus, hinc tacitum fronde virente nemus.
Muſcoſi hi fontes, hæc myrtus tonſilis arte,
Buxus & innocuas pulchre imitata feras;
Hæ violis pictæ areolæ, Lauruſque Comatæ,
Strataque formoſis verna tapeta vijs;
Quondam cura ſimul Sixti, curæque leuamen;
Et labor, & feſſo blanda fuere quies.
Heſperidum Exquilijs cedant Pomaria; Maurus
Illa Draco, ſeruat Romulus illa Leo,
Proxima Virgineæ tandem pete Templa Parentis,
Intempeſtiua Templa rigata niue.
Hic auro, gemmiſque ardens fulgentibus Ara
Lucet. & Iſthmiaco fuſilis ære labor.
Cæſa ictu artifici ſpirantia marmora viuunt;
Et loquitur fictus viua per ora color.
Nempè Deum parua niueaque in fruge latentem
Prona hic inflexo poplite Roma colit;

Par

Par erat, vt magno par ſit conclaue Tonanti,
  Principe nec Sixto ſurgeret Ara minor.
Magna es, Sixte, manu ingenti molitus, & auro
  Pyramidas, fontes Templa, theatra domos
Sed cum par animo pectus, mentemque profundam
  Cerno, ipſe es, cogor dicere, maius opus.
At breue delicium Romæ trahit aurea vitæ
  Heu celeri Lacheſis pollice fila tuæ
Fortè diù non vixti hoc rerum culmine: longa
  Aequarat factis tempora vita breuis.

# Vrbani Octaui Pont. Max.

## ICON. III.

EXeſte molles nunc Elegi Lyræ:
Signet teramplam linea grandior
Icona; frontem Laureatam,
Pindaricos animetque vultus:
Huc magnus adſis, huc Apis Attica,
Apexque Romæ, tergeminus Pater,
Vrbane, plectrum fer diſertum,
Ipſe tua celebrandus arte.
Vrbs illa, mundi Flora ſuperbior,
Hetruſcus Arnus quam ſecat alueo
Vndante, Regem Vaticanis
Faſcibus, imperioque gignit;
Cuna recumbit dum Puer aurea,
Gentilis Ales murmure nobili
Informat aures, & Labellis
Purpureo liquat imbre nectar:
Hinc vena diues mellis Hymettij,
Fuſumque chartis nectar amabile,
Et Muſa cantum dædaleum
Pierio modulata plectro:
Stant Barberini carmina Delia
Inciſa Lauro colle biuertici,
Plaudente muſarum theatro,
Quæ cecinit numeroſus Auctor:
Oſtroque pictus diuite, triplice &
Ardens pyropo, ſtat Lituus tholo,
Phæbo dicatus, penſiliſque
Perpetuo radiabit auro.
Quin grande pectus muſa ſeuerior,
Et Pallas artes impluit arduas,

Panditque ventis vela doctum
Ingenium potiore cura
Miratur acrem vim ſapientiæ
Sublimioris Turba Quiritium.
Iam plaudit, & ſerum ſuſurrat
Imperium Latialis Aula.
Romana fronti nectitur Infula,
Erratque textu cæruleo chlamys;
Ad ſtante iam Patrum Senatu
Ora fluunt pretioſa riuo.
Sed Roma rupes te ſ[illegible]at Alpium
Vltra niuales, quà riguus Liger
Liquenti it amne, & lacte puro
Liligeras alit vnda ſyluas.
I, magne, quò te Gallia prouocat,
Altrix iuuentæ Gallia martiæ,
Sedeſque pacatæ Mineruæ
Clara Ducum, genioque Regum;
Interpres Aulæ Romuleæ reges
Hic tu Quirini ſceptra Vicaria;
Et Sacra grandi temperabis
Iura Supercilio verendus;
Hic Gallicanas Italus Hercules
Frænabis aures nexibus aureis;
Mulcebis, innecteſque prona
Pectora nobiliore lingua;
Sed cernis? inter candida lilia
Te Roma ſignat murice Punico,
Magnamque inaurat frontem, & inter
Purpureos iubet ire Patres.
Tùm victa pallet Purpura dibapha,
Et ſe minorem moribus indolet.
Non æquat ingens mentis oſtrum
Vitta cadis tyrijs remiſta;

Hac luce magnum Felſina nobilis
Vidit ſupremo te ſolio, Iouis
Romani agentem teſa.rectâ
Et populis dare iura Lance.
Prolude mundi faſcibus inclytis
Hoc rudimento principis Imperi,
Cælique, terrarumque fræna
Diſce graui retinere dextra.
Iam verſat ingens vrna volubilis
Nomen: recurrens vaſta per atria,
Iam vulgat Vrbanum ſattra, iamque
Romuleus ferit aſtra plauſus.
Vrbane, Salue, Dardaniæ Pater
Vrbis: refers en nomen amabile,
Belle, & facis, terris vt ipſa.
Barbaries placeat Latinis.
Aurata fulget vertice margaris,
Gemmaque eoa caniciei calet,
It tortilis byſſus, micante
Et refluit chlamys ampla limbo.
Aſſultat vndis Albula grandior,
Et Roma nunquam ceſſior, ardua
Submittit ora, almamque frontem,
Purpureos venerata talos.
Tu fulguranti vertice dulcior,
Orbem reclinem blandius excipis,
Et melleum promittit æuum
Mellea progenies volantum.
At Barberini ſat minor indole
Eſt hæc latini culminis Infula.
Fert grandiorem mole Regni
Ille animum, Latiaque Vitta.
Hinc aſtra magnus Roboreus Senex,
Aeuo ſolutus, tendit ad ardua;

Et

Et priſca cedit Feltriorum
  Sceptra Ducum Domino Quirino;
Vrbane cernis? ſe tibi ſubdidit
Prona Metaurus fronte volubilis,
  Gaudetque flauenti tributa
    Ferre Tybri, Phygiæque Romæ;
Sed priſca virtus it pede libero;
Iam currit Orbem fauſta beatitas:
  Non ſceptra, ſed mores gubernant,
    Integritas rogat ipſa Leges.
Vittata magnam Religio regit
Mentem beati Flaminis, aureum
  Qui ſacrat annum, ſeculares
    Imperio reſeratque poſtes.
Effluxit æui ſcilicet Orbita,
Cælumque præceps, cernere geſtiens
  Tantum beantem Secla Patrem,
    Vnanimi, & dare iura mundo.
Hoc Templa fauſtè Principe prænitent,
Stant Vaticano Culmine tortiles
  Quatriplicis moles columnæ,
    Tegmina, & aurea culta ſignis:
Surgitque circum cellula quadruplex;
Cui diuus ingens eſt pretium Ciniſs:
  Spirantque vultus ficti, & ora
    Phidiacis animata Cyris.
Percurre at Aedes fanaque Romula,
Ardere eois ignibus, Attali
  Fulgere & auro, & Gange toto
    Et rutilo Garamante cernes:
Cernes, & aſtris addita Numina
Diuoſque cultos thuricremis focis;
  Quos inter Andreas refulget
    Inclitus; & radiat Thienes,

Salue-

Saluete Cęli fixa Parelia,
Tu lux phalangis, Tu Caput inclytę;
Vtrumque Myſtes Barberinus
Concilio aſſeruit Tonantis.
Sed vis Sacrorum Principis ignea
Iam munit arces, & pia fulmina
Pax alma cudit, bellicoſis
Floreat vt pietas ſub armis.
O quę ſupellex terret ahenea
E Vaticano pariete penſilis!
Hęc ęra condunt ſecla terris
Aurea, Romulidumque pacem.
Inſtructa moles Aelia detonat
Iam grandiùs, iam territus & Tybris
Pallet, timetque arcem rigare
Fulmineam propiore fluxu.
Arxeſt & ingens, cui dedit inclyta
Vrbanus auctor nomina, finibus
Impoſta Romanis, vt hoſtes
Aere cauo, tonitruque pellat.
Hinc nulla terrent fędera Principum,
Innexa forti Marte adamantina.
Non miſſa cognatis ab Euris
Fulmina. non rabies Leonis.
Stat fęderato grandior agmine,
Atque irretorta mente: piè ferox,
Ridetque bellum Barberinus,
Multiplicem & generoſus hydram.
Bellatur ore, & Luce ſupercili,
Nutuſque pugnat martius. Infula
Gemmata flagrat, fulgurantque
Vitta, clamys, lituus. Tiara.
Viciſti inermi pectore; Numine at
Exutus acri, mox rediit Pater.

Gaudet, paternis, & triumphis
Plaudit, Io, latialis Orbis,
I nunc, fer aſtris exuuias, bone
Vrbane, celſum te Capitolium
Complecti auet, gemmaque, & auro
Cęſariem religare Sacram.
I, perge, totus non abis, aurea
Virtute clarus te geminus Nepos
Grandi repręſentat oſtro,
Conſiliis, animaque magna:
Tu parce clemens, dextera ſi minor
Pigmenta duxit, linea & impare
Eſt auſa celſam vmbrare frontem, &
Magnanimos tenuare vultus.

Care-

# Caroli Magni Cæſaris,

## *ICON IV.*

CArole, cui virtus ardens cognomina Magni,
Et pietas peperit martia, Marſque pius:
Nomina qui ſuperas, famamque ingentibus auſis,
Egregijs, Cæſar Maxime, maior Auis,
Pone Supercilium, & trabea permitte teliſta,
Eſſe ſemel parua paruus in effigie,
Fallimur: effigiem, licet exprimat impare ductu,
Haud minuit vultus linea curta tuos.
Carolus haud vſquam non magnus; grandiaque ora
Nullus in exiguo contrahit orbe locus.
Inclyta quin tanta grandeſcit imagine tela,
Creſcit & Auguſta à fronte tabella breuis.
Ergo age, viuenti quæ fax vibrabat in ore,
Ducta Timantæa temperet vmbra manus.
Maieſtas nec tota micet veneranda ſeuero
Vultu, ſed facilis molliat arte labor.
Grandibus à Curis ſtet feſtinata ſenectus
Vertice, & auratas nix tegat alta comas.
Regius & gemino rutilet diademate crinis,
Nexaque cum latijs Gallica ſerta micent.
Gemma ardens, oſtroque fluat chlamys aurea, nectat
Fibula quam morſu diuite colla ſuper.
Corpus inexhauſtum prætendat robur,& ingens
Fortia vis animet pectora, par animo.
Illius hæc ſpecies, hæc aſpectabilis ore
Forma, triumphali Cæſare digna ſatis.
Linea nunc eadem tabula duo Numina ſignet,
Magnanimo nunquam diſſociata Duce.

Sydereo hinc vernet pietas pulcherrima vultu
  Bellica & hinc virtus ardeat ore truci
Carole, terrarum terror, mundique Latini
  Iuppiter, altiſono cui tonat igne manus.
Conſilio vibrata priùs, quam torta lacertis
  Fulmina, nunc etiam tanta diſerta iacit à
Te galea rutilum picta, ferroque coruſcum
  Vidit anhelantem flectere Saxon equum.
Et præclara ſibi immitti mox fræna rebelli;
  Et victore ſemel ferro, iterumque premi.
Fulmineas volitare aquilas, tua ſigna proteruus,
  Cantaber, attonita & vidit Iberus aqua.
Illyricum parere doces victricibus armis,
  Et tua captiuus Dalmata iura ſubit?
Tergeminum latij Patrem, & Septemplicis Vrbis
  Arces Romuleas vindicat vna manus.
Te Vaticanum, ſpretæque iniuria Romæ;
  Numina te dextrâ vindice inulta vocant.
Protinus & niueas ardens conſcendis in Alpes,
  Nec ſunt tuta ſuo culmina tecta gelu.
Inſpexiſſe, fuit diras ſtrauiſſe phalanges;
  Maieſtas domuit, martium & ore iubar.
Ante pedes; poſito ſceptroque, & marte, ſuperbum
  Demiſſo Regem poplite ſtare vides.
Scilicet haud tritis decoras tua bella trophæis,
  Summa petunt celſi tela triſulca Iouis.
At fera ne Sacris noceat trabeata Latinis
  Ampliùs, & magnum terreat vngue Patrem;
Regifica exutamque iubâ, vectamque niuales
  Trans Alpes, durâ Compede, & ære domas.
Indignabunda it Regia Bellua, dente
  Clathraque ſpumanti mordet ahena ſuo.

Non

Non hæc bella ſemel tractas: Romam inſilis vltrò,
Iſque triumphalis ſæpe, redisque viam.
Templaque culta aurô ferro tutaris, & aras,
Turrita & Superos in ſua tecta vocas.
Carole, quam bellè miſces pietate Gradiuum,
Quàm pulchra eſt rigida à caſide relligio,
Hinc ſua virtuti merces: en fronte refulget
Intextum gemma Perſide ſtemma nouum.
Splendida ſunt hæc Cæſarei geſtamina cultus,
Quæ tibi Romuleus donat habere Pater.
Texta prius Cælo, radiataque Sydere multo,
Ornauere tuas mox data Serta Comas.
Scilicet Eoa ne ſolus regnet in Aula
Cæſar, ſitque Aula Cæſar in occidua.
Iam Caput Auguſtum es mundi, iam quicquid vbique
Sol indeflexo conſpicit ore, tuum eſt.
Magna licet, vaſtis fuſa & tot Gallia terris,
Par animo, & ſceptro non erat illa tuo.
Nec tibi par Orbis, latiæ chlamys aurea Romæ
Eſt & adhuc magnæ menti, animoque breuis.
Tu memor Auſoniæ plaudenti, & prouidus Aulæ
Romuleæ ſtudio nobiliore faues.
Poſt domitos armis hoſtes, en incipit alma
Cæſaris auriferâ Roma nitere manu.
Attalicas quas fudit opes quæ copia fandi
Diues? quæ gemmas aurea lingua notet.
I Vaticani penetrale, i, templa ſuperbis
Aſpice, diuitijs ambitioſa ſuis.
Hic ſolidum fulget pateris prægrandibus aurum,
Millenoque calyx ex adamante micat.
Hic animant rutilum ſpirantia ſigna metallum,
Itque per ardentes plurima gemma Cruces,

Inciſus viuit cyathus: pretioſa figuris,
Ampla ſuperfuſa peluis anhelat aqua.
Ignis vbique ardet ſcythicus, ſtellatus & auro
Chryſolithus, niuea & luce coruſcus onyx.
Quid phrygia variata manu ſubtegmina, & Inda
Grandine margaridum ſyrmata culta loquor?
Quid picturatis vmbrata altaria peplis,
Quæ Peluſiaco pollice fingit acus?
Hæc tua munificæ monumenta inſignia dextræ,
Regia & hæc pietas, Carole, dona pluit.
Tutaris Romam? ſuperas virtute latinos
Scipiadas, magna & nomina priſca Ducum;
Exornas? auro ſuperas, & diuite dextra
Lydia quot Reges iactat auara ſuos.
Iam qui rès Superûm, Diuûm & delubra per Orbem
Occiduum cultu ſplendidiore colis,
Quam bene Memnonio tibi panditur Orbe Sepulcrum
Numinis, extincto & Saxa animata Deo.
Vitalem tibi dat Tumulum, & monumenta verenda
Barbarus ore, pius munere, Rex Arabum.
Non ære igniuomo, exerto ſiue enſe potiris:
Nulla Palæſtinis Gallica ſigna iugis.
Expugnat tua fama hoſtem, pietaſque meretur
Marmora, diuina nobilitata nece.
Bella Gothifredo ſeruantur, & illius olim
Enſe cadet cæſo victima multa Deo.
Ille ſepulcrali Europam ardeſcere cote
Iuſſerit, Ille acuet ferrum, animoſque Ducum.
Iam quid iners torpet fulmen penetrabile, mollis
Europa? & nullus pectora pungit honos?
Chriſtiadum iugulus petiturque, daturque viciſſim,
Atque inteſtino prælia marte calent.

At

At ſolyme nulli curæ, & lachrymabilis vrna,
Et Scythico ſqualent ſaxa beata ſitu,
Ite, Animæ illuſtres, quo veſtras inclyta Idume
Palmarum philyris ardet obire Comas.
Ite alacres, frontem quà tollit Golgotha, veſter
Ceu Capitolino Colle triumphus erit.
Carolus interea bello, ſtudioque Sacrorum
Magnus, Olympiaca ſede locandus abit.
Celſa parte ſedet, poſito iam Cæſare maior,
Secla premit, rutilo lucida & aſtra pede,
Centeni Diuo nectunt diademata Soles,
Ardet & intexto ſydere picta chlamys.
Indigeti & terris aræ fundantur, & illi
Aſſyrius Cylico fumat ab igne vapor.
Et tutatur adhuc Orbem, fuit igneus olim
Enſis, nunc ſtellis additus, eſt Clypeus.

## Rodulphi Primi Cæſaris.

### ICON. V.

NOminis Auſtriaci, ſceptrique hic ille Rodulphus
Conditor, Auguſtæ gloria prima Domus.
Cuius milleni fluxere ab origine Reges,
Cuius & æterno Cæſare ſtemma micat.
Spirantem hanc illi, magnamque Icona Sacramus,
Inclyta cui pretium frons, ſpecieſque facit.
Aureus hic illi vertex, hæc Cæſare digna
Vultu maieſtas, hoc erat ore decus.
Anxia quæ quondam mundi tractauit habenas,
Inſidet Auguſto cura ſupercilio.
Quæque olim caluit generoſo in pectore, fictos
Illa animat Martis vis operoſa toros.
Effulget tota hic virtus; tamen inclyta Muſam
Ire per egregij Principis acta iuuat.
Cæſaream terit ille annis iuuenilibus Aulam,
Stat propè Romani ſceptra ſuperba Iouis.
Regnandique artes, torquere & fulmina diſcit,
Et librare Orbis commoda mente graui.
Maturum florente gena miratur Ephebum
Cæſar, & auratam conſenuiſſe Comam.
Præſcius Auguſtos mores iam deſtinat Orbi,
Pronaque ad Auſtriacos ſceptra Latina videt;
Aula paludato Iuueni iam plaudit, & ardens
Sollicitat votis ſydera lenta ſuis;
Ipſaque ſtat propior mundi Infula, tempora lambit;
Itque per ambroſias ambitioſa Comas.
Ipſe animum fatis olim venientibus aptat,
Et cumulat ſtudijs omina certa ſuis.

Mori-

Moribus inſtituit mentem; factoque ſenatu,
Virtus magnanimo in pectore multa ſedet.
Relligio has inter, lex, & Regina Sacrorum,
Pulchro vincta Comas ſydere, ſceptra gerit.
Hæc actus, hæc ſenſa animi componit, & ornat,
Egregiam hæc frontem format,& ora regit.
Accipe quæ Cæli monumenta arcana, perenni
Scripta auro, & Solido ſculpta adamante notant.
It Syluis fortè Auſtriacus, fræna aurea quaſſat
Ilia, & alipedis pungit anhela chalybs.
Seu volucres ſequitur ceruos Curſu alite, Marſos
Seu petit, intorta & Cuſpide figit apros.
Cum parua ſub fruge Deum videt ire Latentem,
Et niueam ferri trita per arua dapem.
Qui vehit it pedibus Myſtes, iamque imbre cadente
Immaduit pluuio ſub Ioue Sacra Ceres.
Ductilis ambroſia haud latuit, Numenque Rodulphum
Vt videt, vt præceps deſilit alipide
O fortunatos, inquit, queis Numina Syluæ
Parturiunt, & queis præda fit ipſe Deus.
Scilicet, hanc Superi prædam venantur Olympo,
Sic illa,oblato Numine; Sylua beat
O me captiuum, venatoremque Tonantis,
Seu capio, felix, Numina, ſeu capior.
Nec mora: demiſſo veneratus poplite Myſtam
Chriſtigerum, alipedis terga ſubire iubet.
Iniectatque humeris chlamydem, cui pulchrius ardet
Purpura, ab intecto ſat pretioſa Deo.
Ipſe pedes, nuduſque caput, ſe grandior, ingens
Verna Sacerdotis ſpumea fræna tenet
Itque alacer propiore Deo, tantoque Superbum
Seſſore, & grandi pondere cernit equum.

Cælicolæ plauſere operi, faciliſque reuoluunt
  Mente, quid obſequij penderet æqua manus,
Vulgares ſupra faſces, communia ſupra
  Serta, agitant magno ſtemmata digna Duce:
Mox aiunt, vaſtis operoſum incudibus aurum
  Ingemat, & grandis ferueat arte labor:
Deſcribat diadema leui pede circinus, amplum
  Ambiat Orbe Orbem vaſta Corona ſuo:
Fuſile creſcat opus ſceptri prolixius, oram
  Quod ſimul eoam tangat, & occiduam.
Sculptum auro ſolium celſo ſtet pegmate, mundi
  Currat ut obtutus liber vtrumque latus.
Signis culta chlamys, limbo ſinuoſa teramplo
  Vmbret, & Imperio contegat omne ſolum:
Aureus & ſtipes ramos extendat, & Orbem
  Inclyta quadrifidum temperet vna Domus.
Sic penſatur honos, Numen qui pronus adorat,
  Cernat prona ſuos lambere regna pedes.
Ergo ſub Herculea Fridericus mole fatiſcens,
  Abijcit & vitæ pondus, & Imperij:
Cæſare quà grandi viduata illachrymat Aula,
  Cura trahit varios ambitioſa procos.
Hic proauos, priſcam, & gentem, tituloſque vetuſtos,
  Ille auſus iactat pulchra per arma ſuos.
Ardet turba Ducum, ſtudijs certatur, & armis,
  Faſces ille ſibi vendicat, ille ſibi.
Fluctuat incerto ſumma Inſula Principe, nunc huic
  Pendula, nunc illi nobilis vrna fauet.
Vrna fauet nulli, quæ ſic fauet omnibus; annis
  Biſque nouem latio Cæſare Sceptra vacant,
Te Te magna manent hæc incrementa, Rodulphe,
  Te ſcripta æterno ſydere fata notant:

Tu

Tu ſupremus Apex mundi, tu Iuppiter audis,
Regia cui fulmen tortile portat Auis.
Damnat terra moras, miratur ab æthere Summo,
Munera tam lento præcipitaſſe gradu.
Tum vouet, vt ſero perdat, quod ſeriùs Orbi
Contigit, & Cæſar tardus ad aſtra volet.
Magnorum interea Auſtriadum Gens, nata regendis
Imperio populis, aurea fræna capit.
Et superùm decreta, notis inſcripta coruſcis,
Aurea Poſteritas: & data Regna probant.
Itque Nepos fuſus terras ramoſus in omnes,
Et nulla Auſtriacis faſcibus ora caret.
Subditus exoritur Phœbus, rutilumque tributum
Primæue lucis ſoluitur Auſtriacis:
Subditus & moritur, functique cadauera ſolis,
Et claros cineres excipit vrna Tagi.
Axis vterque illos veneratur, & Indus vterque,
Heſperia atque ingens vtraque, vtrumque mare.
Torrida quæ tellus Cancri inter brachia feruet,
Damnat & æterno quam Cynoſura gelu.
Quà funda ſciſſus Baleari ſibilat aer,
Bragada quos vitreis, quos rigat Albis aquis:
Quæ trans Herculeas immurmurat vnda columnas;
Et quæ Gens alio diſcolor Orbe latet.
Tandem quà latè circumſonat Amphitrite,
Auguſtum Auſtriadum nomen, & arma ſonant.
Non Macedùm faſces tot ſe fudere per Orbes,
Not tot Orontèis Regna fuere Syris.
Non ſic diues opum Perſis, ſunt ſceptra tèrampla
Helleſpontiaci Cæſaris ampla minùs.
Nec tàm Roma ſuo latè ſpatiatur in Orbe,
Quin breuior fines contrahat ipſa ſuos.

Ira-

I, radio terras metire, i mente volucri,
Quà celeri currit Sydus vtrumque gradu.
Partire, & Mundum ſua per ſegmenta, per omnes
I partes, pende & ſingula lance pari.
Scilicet Auſtriadum innumeris, te iudice, Regnis
Romula bis decies Regna minora putes.
Hæc tu magnanima fundas virtute, Rodulphe,
Ipſe auctor tanti Nominis, ipſe Caput.
Auſpice te, populis æternum iura miniſtrat,
Imperio & terras ſtirps generoſa beat.
Cæſareum deerat genus Orbi, Cæſare vt vno
Auulſo, ſubeat Cæſar & alter onus.
Tu Genus hoc condis, Generis tutela, Nepotum
Celſa Pharos, *mundi* deliciæque tui.
At quibus auſpicijs ſubiecti fræna capeſſis
Imperij? populos qua regis arte tuos?
Quantus in aduerſos aſſurgis belliger hoſtes
Ignea quo belli fulmine dextra tonat.
Sat loquitur palmas captiua Sueuia, victus
Sat ſua ſcit Cymber vulnera, ſat Bauarus.
Cerne Coronatum demiſſa fronte Boemum,
Vt iuret, poſitis, in tua verba, minis
Obſequium tegit ille vmbra, Conopæaque Regem
Occulere, innixum poplite, poſſe putat.
Fallitur: arte noua laxat tentoria funis
Tortilis, oppanſa & vela repente cadunt.
Serica tecta patent, improuiſumque theatrum
Tempeſtiuè aperit ſutilis illa domus.
Nempe vides vultu Otocarum ſupplice, magni
Stare paludatum Cæſaris ante pedes.
Hinc, atque hinc acies alacri ſpectacula plauſu
Excipiunt, ardet Regis in ore pudor.

Sce-

Scena fuit nimium illætabilis illa Boemo,
  Dedecus vt vidit luce nitere ſuum.
Aſpicit hæc Cælum, Cæſar, tua Phæbus inaurat,
  Quæ latuiſſe putat; pulchra trophæa nefas.
Sic tibi concilias ingentia nomina factis,
  Factaque circumfert grandia fama minor.
Tandem fata vocant; Senio maturus & æuo,
  Depoſito mundi pondere, ad aſtra ſubis.
Vrna tegit cineres; mens fulgurat ætere puro,
  Et videt Auſtriacæ currere ſecla Domus.

## Caroli Quinti Cæſaris.

## *ICON. VI.*

QVis tua Pierius color exprimet ora? tonantem,
Carole, quæ fingent ſpirantia marmora dexteram?
Magnanimum Aeacidem, ærataque, & Pallade clarum
Dulichium docta, fortemque manu Hectora, Atridas,
Pellæumque Ducem, Auguſtumque, & fulmina belli
Scipiadas volucri mens pennæ curat,& omnes
Delibet magnorum animos,vultuſque verendos,
Cæſaris egregiam,vt fingat manus impigra frontem,
Decerpatque Heroa tot ex Heroibus vnum.
Scilicet haud alia ſpectandus imagine magnus
Carolus, Auſtriadum Soboles fortiſſima Regum,
Imperij lux fauſta, Ducum flos, Orbis & Athlas.
Quà iubar aſſiduum rotat immerſabilis Arctos,
Editus,en ſubitò ſceptris aſſertus Iberis,
Etſplendente Tagum ripa, Rhenumque bicornem
Imperio iunxit: trabea ſed maior auita
Inferiora Patrum indignatus Regna, capeſſit
Fræna quatergemini Romanus Iuppiter Orbis.
Fuluus adhuc primo crinis ludebat in auro,
Vernanti nec pube genas vmbrauerat Hebe,
Cum ſeptingeminus conceſſit iura Senatus
Imperij, & faſces Iuueni dedit vrna Latinos.
Ilicet exorſus curas euoluere mundi,
Et trabeam indutus tyriam, galeamque, tuetur
Sceptra Supercilio, pubeſcentique Gradiuo.
Dextra per Herculeos it formidanda labores
Protinùs,& quaſſans regalis robora clauæ,
Arctoam domuitque Vrſam, gelidoſque Triones,
Septe-

Septenumque Iſtrum, ſeptem ceu dira Chelydori
Colla renaſcentis, rutilo manus amputat enſe.
Hinc indignantis duri noua fræna Sicambri
Fuſa acies, hinc Pannonius, Batauuſque rebellis,
Cymberque, indocili & fractus ceruice Boemus;
Cumque tuum Friderice Iouem petis acer aperto
Marte, Iouem mox agnoſcunt tua ſigna Tonantem,
Fulmineaſque vident Aquilas: tuque, inclyte Saxon,
Belligeras captiua manus poſt terga reuinctus,
Auguſti pompam exaugeſ, famamque triumphi;
Illuſique reus fueras qui Cæſaris, audax
Debueras iugulo, ferroque exoluere crimen,
Magnanimo at ſatis Auſtriadæ proſtraſſe, tuoque
Te Sceptro reddit, ſolioque reponit eburno.
Bellica ſed fluitant Galli vexilla Comati,
Iamque intexta auro Mauortia lilia ludunt
Aere, & Auſtriacum petit armis Celtica pubes,
Bellatum, cæſumque agmen, fractæque cohortes
Liligerûm, fuſis nec ſufficit Itala Gallis
Vrna; paludatum Regem videt Inſuber inter
Cæſaris exuuias, & ſubdere colla catenis,
Ticinuſque ſuo dum murmurat amne, Superbus
Plaudit, Io, viciſſe Ararim, magnumque Garummam
Iactat, & egregium pangit Pæana triumpho.
Sciſſa Comas, chlamydemque dolet dum Gallia Regem
Amiſſum, & fuluæ fata illætalia pubis;
Altera iam lybicis tibi palma repullulat oris,
Carole; turrita pelago volat abiete pubis,
Victriceſque volant Aquilæ, quas diuite Doris
Pulchra refert gremio, & tanto iuuat Alite pingi,
Curua tenet Lybiæ volucris iam littora Claſſis,
Iamque ardet Cæſar, iam Tuneta verberat ære

Ful-

Fulmineo, & dominam miles ſubit arduus arcem.
Hoſti nulla ſalus; lentum pars abijcit arcum,
Pars fugit, & muris iam iam labentibus, ipſe
Ieiunjo præceps elabitur enſe Tirannus,
Tuque, Heros, Regno victor, trabeaque potiris.
Parthenope Auguſtum meritis excepit ouantem
Plauſibus, Eubois cecinit bella incl, ta Siren,
Atque cothurnati vicinior vmbra Maronis.
Ardua nec bella emenſum, feſſumque trophæis,
Diſcinctum thoraca Ducem pax candida mulcet.
Bella, Africamque iterum magnis petit auſibus, ingens
Scipias Auſtriadum. It volucri cum remige Claſſis
Aerata, & Mauras Neptuni tendit ad Aras,
Non hic miſcentur conſertis hoſtibus hoſtes.
Pugnatur Cælo, & pelago; nam fluctibus æquor
Hinc furit, hinc refluo grandis fluit ætere nimbus,
Et coniurati recinunt ſua claſſica venti.
Pulſat amica ratem ratis, & roſtrata propinquam
Puppis agit puppim: cedit circumflua ponto
Claſſis; at erecto Cæſar ſtat vertice, frangunt
Carbaſa, non animum venti; ſciſſa intonat aer
Nube, Supercilium vernat ſed fronte ſerenum.
Macte animo: Lybicos reris dum frangere, Cæſar,
Neptunumque, Iouemque iratum, atque ætera frangis,
Thracius inſano feruet ſed Marte Tyrannus,
Infauſtumque trahit Sydus, trahit agmine longo
Euphratem, & Nilum, gelidum qui potat & Hebrum,
Barbara vt aſtriferos populetur Luna Triones.
Non te mixta acies, totoque ex Orbe phalanges
Adlectæ terrent, virtute & robore maior,
Et Duce, Cæſareus denſo Coit agmine miles.
Carole, te cliuo vidit Solymanus ab alto

Ali-

Alipedem dum flectis equum, ſpumantia & auro
Ora regis, fuluoque doces parere lupato;
Hærenteſque Duces lateri, quos inclyta Enyo
Clararat factis, æquantes bella triumphis;
Vidit: & egregium ſpirantia pectora Martem
Horret, gentiliſque ſuo non ſegnior Aſtro,
Terga dat Odryſius, refugis inglorius armis.
Enſe olim,& forti vincebas, Carole, dextra;
Nunc fama,& viſa debellas fronte Tyrannum.
Olli talis erat diuino in pectore virtus,
Hæc cęptis fortuna, & felix alea belli,
Hæc indefeſſis inerat patientia membris.
Nulla quies animo: ſlaurum nunc potat Iberum,
Nunc Albim domitum, nunc Itala Regna reuiſit,
Et denuò Arctoos, Galloſque, iterumque Britannos,
Sæpiùs Auſoniam, Latiumque, & ſæpius vltra
Herculeas volucer metas, & Boſphoron vltra.
Cumque tot immenſæ tractus terræque, mariſque
Percurrit; duris docet hos aſſueſcere frænis,
Illis iura Patrum, libertatemque tuetur,
Huic adimit, ſceptra huic reddit; quos fulmine terret,
Quos frænat, pendentque ſuo diademata nutu.
Magnis Sceptra Atauis tandem tranſmiſſa, ſuaque
Parta manu forti tituloſque, & nomina Regum,
Et picturatas Sarrano murice veſtes,
Mygdoniaſque domos, faſceſque peroſus,& Aulam,
Exuit: Imperium Iuuenique annoſior Athlas
Dat torquere ſuo Alcidi: mox paupere tecto
Oris grande iubar, maieſtatemque coercet.
Quique grauis ferro æratos tranſmiſerat annos,
Auratos numerare dies,& ſecula priſca
Orditur Latitans, Cælo ſat notus, & aſtris.

Pax

Pax iuuat innocua; At niueo dum crine rigentem
Et galeam, & duro tunicam ex adamante reponit,
Pugnat adhuc melius Cæſar. ſeque impetit hoſtem.
Pulchrè alios, vincis te, Cæſar, pulchrius ipſum:
Victor agis terris, Roma plaudente, triumphos,
At Victum meliora manent Capitolia Cælo.

Philip-

# Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis.

## ICON. VII.

ASpice, termagni pondus cui Carolus Orbis,
Magnanimo Alcidi ceſſit Iberus Athlas.
Dant trabeas Proaui, metuendaque ſceptra Philippo,
Dat trabeæ, & magnis plura Philippus Auis.
Bella placent primo vernantis flore iuuentæ,
Ipſe ſuà fudit caſtra inimica manu.
Teſtis Aquitanus, Galloque à Cæſare vulſæ
Vrbes, Captiuo & flumine teſtis Arar.
Sydereis immixta plagis tibi, celſa Pyrene,
Contigit ardenti cernere pube Ducem.
Cumque tuas ſubit ille niues ſplendore Coruſcus,
Aſpicis ipſa tuas incaluiſſe niues.
It ferro; gemmaquè ardens Garamantide, ludit
Martia & ex humero diuite fuſa chlamys.
Crinem auro munit criſtato, nobile Sceptrum,
Implicitum torto fulmine, dextra quatit.
Fulgurat & ſonipes, Martemque è naribus efflat,
Crine niuem præfert, ſpumeus ore niuem.
Igneus aſt intus vigor eſt, animoſque, & anhelam
A Domino flammam mutuat ille ſuam.
Magnanimo hæc inerat bellatrix cura Philippo,
Ardua felici hac indole bella gerit.
Atque hæc Auguſti Iuuenis primordia famæ,
Qem tot ſollicitant grandia facta Patris.
Moxque ſuo aſſeritur ſolio, poſitoque Gradiuo,
Conſilio, & grandi mente trophæa refert.

Arma regit nutu, atque animus per caſtra volucris;
  Ille ſupercilio pugnat, & ille calet.
Acer tela iacet miles, ſed tela Philippus
  Dat certa, ille hoſtes ſternit, at ille iubet.
Immotuſque manet, placida ceu Iuppiter æthra,
  Mille ſed hinc terras fulmina, & inde petunt.
Sic animat magnum pacatè belliger Orbem,
  Sceptraque ſecreto Marte timenda regit.
Innectitque oleà laurus, & ſurgere inermi
  Cernitur Hiſpano plurima palma Duci.
At non illi eadem ſemper fortuna ſecundo:
  Nunc aduerſa Dea eſt, moxque ſecunda fauet.
Cerne vicem: Eois auget diademata Regnis,
  Regna ſed imminuit Belgica Belga ferox.
Victor, Io, terris, cum Gallica ſigna triumphat,
  Victa ſed eſt fluctiis regia Claſſis aquis.
Auguſto Seruus lateri fidiſſimus hæret,
  Nulla ſed eſt Soboli religioſa fides.
Grandibus infelix Hymenæis: plurima Coniuux,
  Coniuge ſed ſoboles eſt numeroſa minus.
Intrepidos nunc cerne animos, atque inclyta nullo
  Aut caſu, aut acri pectora victa metu.
Vna illi Soboles, ſanguis Regum, aurea cari
  Lux Patris, Auſtriacæ ſpes generoſa Domus.
Et decus, & flos, magni & ſtemmatis incrementum,
  Aulæ vota, amor & Carolus Orbis erat.
Cœpit at ardentem regnandi dira cupido,
  Et laniant auidum Sceptra paterna ſinum.
Iam nimium ſibi ſtare putat reuolubile Cœlum,
  Temporis & volucres tardiùs ire rotas.
Scilicet, eſt omnis ambitio velocior æuo,
  Pronaque decliui præuolat aſtra gradu.

Re-

Regius hoc Iuuenis ſecreto percitus æſtro,
Cœlum vrget, fatum ſollicitatque Patris;
Tempeſtiua, inquit, nunquam non ſceptra Parentum
Sunt Soboli ſemper funera ſera nimis.
Occidat Ille: meæ fronti modo flexilis auro
Stet gemma, & lambat pronior Aula pedes.
Audijt hæc Nati vota immatura Superbi,
Sceptraque ſat nimium deproperata, Pater.
Pendit lance pari facinus, iudexque, Parenſque
Eſt idem, magno in pectore pugna calet.
Pro Nato ſtat dulcis amor, ſtant viſcera Patris,
Inclyta ſtat nullo Principe fulta Domus.
Parte ſed aduerſa ſtat maior Patre Philippus
Infractus, recti & mens generoſa tenax.
Pugnatum: exerto Nemeſis micat ignea ferro,
Expiat vt dextra vindice quodque nefas.
In caput Auguſtum tenet inſuperabile Numen,
Regia & intorto vulnere colla ferit.
Illachrymat Scenæ pietas, & flebilis Aula,
Palpitat & grandi à funere triſtis amor.
Stat maior fatis, excuſſo Patre, Philippus,
Ipſe ſui victor, plaudit & ipſe ſibi.
Cædua dum ſobolis ceruix nutatque, caditque,
Ipſe hæc immota fronte theatra videt.
Theſſalus aſſurgit puro ſic vertice Olympus,
Seque infra ridet ſerpere tela Iouis.
At iam fræna ferox populus ſpumantia mordet,
Miles & excuſſo calcitrat imperio.
Labitur hic, moles tremit hic vaſtiſſima Regni,
Compage & rupta hinc ſoluitur, inde ruit.
Impauidus ſedet Ille, & cauta protinus arte
Sceptra triumphali fulcit auita manu.

Sceptra quibus ſemper ſe Titan ſubdit Iberus,
Siue oritur roſeo lumine, ſiue cadit.
Sol nanque ignicomus terrarum quicquid inaurat,
Lucentique rota permeat, Auſtriacum eſt.
Immenſumque ſuo dum gyro circinat Orbem,
Gyro hoc Auſtriadum Serta texampla notat.
Poſt, ſenio, Spolijſque grauis, Cognata Philippus,
Aurato inſignis ſyrmate ad aſtra ſubit.
Gallicus, Italicus, Solymeius, Afer, Iberus,
Arctous, Sueuus, Celtiber, Indus, Arabs.

# Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis.

## ICON VIII.

EXere magnanimos vultus, Rex Maxime, Celſam
Exprimat vt ſpeciem picta tabella tuam;
Par erat, vt viua ſpectandus imagine mundum,
Quem regis imperio, vultibus exhilares.
Nec totum te muſa notet; quis fingat ad vnguem
Regem, qui gemino latiùs Orbe patet;
Dextra per Auguſtam ſuſpenſo it pollice frontem,
Eſt potis exigua haec vmbra beare lyram.
Illum ingens Genitor, cum ſe ſe miſcuit aſtris,
Indole florentem deſerit, atque gena.
Succedit Phæbo Phæbus, non Heſperus impar:
Faſcibus, atque æuo grandior ipſe ſuo.
Mentitur fuluus vertex, auriumque capilli,
Et quæ vere nouo ſpirat in ore roſa.
Mentem pende grauem, maturaque pectora, dices;
Canicies fuluis debuit eſſe Comis.
Prouidus hinc Orbis curas euoluit Iberi,
Pube tenus iuuenis, mente, animoque Senex.
Par bello, & paci; populos hinc lancibus æquis,
Hinc ſceptra, intorto fulmine, auita regit;
Pace ſedet clauo prudentia peruigil, atque
Egregius puræ relligionis amor.
Eſt honor, & merces ſtudijs, magnoque Philippo
Principe; culta auro Pallas Ibera nitet.
Ipſe ſed & ſolio viſus deſcendere eburno,
Atque coronata plectra animare manu.

Celſior it tanto Tymbræus Phœbus alumno,
  Iactat & Auſtriacam muſa ſuperba Lyram.
Olim rapta lyra eſt terris; atque addita Cœlo,
  Addita nunc terris eſt Lyra, rapta Polo.
Cura ſed hæc leuior Iuueni, nam martia paſſim
  Otia magnanimus nobiliora terit.
Frænat equum alipedem, Sobolem ſpirabilis auræ,
  Ignea cuius agit vis, animatque toros.
Doctus anhelanti lentas immittere habenas,
  Doctus & effuſam detinuiſſe fugam.
Spumantem gyro claudit flexuque, reflexuque
  Orbibus hinc Orbes nectere, & inde iubet.
Conſcenditque auram ſaltu, ventoſque laceſſit,
  Ardet Equus fræno ductilis, ardet Eques.
Ludere iam ferro, & pulchrani certaminis vmbram,
  Fictaque victrici prælia inire manu.
Et facilem vibrare haſtam, & plaudente Senatu,
  Frangere in aduerſum robora querna ſinum;
Nobilis his fuerat virtus inſudare theatris,
  Hæc ſtudia, Auguſti hæc otia Regis erant.
At nunc, quis numeret vera & fera bella, Philippe;
  Arma ferox infers, excipis arma ferox.
Nuſquam tuta quies; nuſquam non militat enſis
  Hiſpanus, ferro quæ caret ora tuo?
Dextra vel occiduos tua vibrat, fulmen ad Indos,
  Et ſimul in magna detonat Heſperia.
Belga tuas acies & mordens fræna Sicamber,
  Et tua Aquitanus bellica ſigna videt.
Neptunumque arma ſroſtrata puppe, Gradiuus
  Nauigat, & miles ventus, & vnda tibi eſt.
Diſtractus tu latè es totus vbique, Philippos
  Multiplicas, volucri mente & vbique tonas.

Et pluſquam geminus proſpectans Ianus vtrumque
Orbem, Centimanuſq; prælia mille regis.
Conſilio hæc agitat. quid cum frontem aurea caſſis
Aſperat? & rutilo fulmine dextra rubet?
Pectore ſtat thorax ſolido ex adamante, tegitque
Regem Dux melior, vultu animatque ſuos.
Maior Alexandro ſtat prima in fronte Philippus
Agminis, & Marti iura dat armigero.
Te Te magnanimus iuſto Catalaunia ferro
Rex vouet, igniuomus te petit ille chalybs.
Fulmineam ne temne manum. Si vincere Regem,
Si cupis & Patrem flectere, lambe pedes.
At gens freta ſuo genio, & propioribus armis,
Munificum Regem temnit, & arma Patris.
Cornua Luſiades hinc & Tagus aurea tollit,
Iuratuſque ſuam frangit, & ipſe fidem.
Inſertatque nouum gemmata in ſtemmata crinem,
Scinditur & Sceptrum nobile, Ibere, tuum.
Subdita ſic magnæ Domui fortuna rebellat,
Inque ſuum pugnant membra ſuperba caput.
Lubrica ſors ludit, nunc huc, nunc iactat & illuc
Regnorum volucres irrequieta pilas.
Dum ludit, luſiſſe piget, reuolutaque pulſu
Ad Dominos cogit Sceptra redire ſuos.
Diſce vices: vexit quæ te ſublimis ad aſtra,
Turbine præcipitem mobiliore dabit.
Interea exercet grauior iactura Philippum,
Et Conſanguineo à funere pectus hiat.
Heu, quam Sanctus hymen; & grandia ſydera Regi
Iunxere vnanimi, concidit exanimis.
Gallica lux Atauûm, Sceptri ſpes inclyta Iberi,
Illa cadit, geminæ lecta pupilla Domus.

Ver formæ pulchrum, roſeoque modeſtia vultu,
Atque illibatus pectore,& ore pudor.
Magnanima & facili cum maieſtate venuſtas,
Munera ſunt magna laude minora ſatis:
Aequa viro virtus, mentis vigor igneus illi,
Maior Aracnæo pollice, maior acu.
Fronte ſedet celſa, ſceptrumque, & bella miniſtrat,
Iuſtitiamque domi temperat, arma foris.
Heu,non ſola peris, Borbonia; publica fata
Ingemimus; tecum, dum cadis, Aula cadit.
Regnorumque animam tumulus dum contegit, idem
Regna eadem tumulus,exanimata tegit.
Tu Begemque,virumque imples; Rex magne, dolori
Dum pares, virtus ſtat generoſa loco.
Itque per Auguſtos non mollis lachryma vultus,
Grande quid & ſpirat decolor ipſa gena.
Nec mora: Congeminat vulnus mors improba, clades
Augeturque ingens clade, dolore dolor.
Inclita nam Genitrix ſpiranti in prole ſupereſtes,
En noua in examini Principe fata ſubit.
Ille amor Auſtriadum,& Generis flos occidit, ille
Regnorum ſydus, ſpes, geniuſque Patris.
Pubeſcens primò maieſtas vere, reclinis
Languit, & tenero palluit ore iubar:
Phæbus inoffenſo qui lumine circuit Orbem,
Viderat in toto pulchrius Orbe nihil,
Naſcenti accendit diuiſus Veſper ocellos,
Et Tagus auratas pexuit ipſe Comas.
Vernabat vultus ferrugine pictus Ibera,
Ambroſijſque inerat gratia fuſa genis
Iam ſenior virtus vernos præteruolat annos;
Magnanimuſque æquat pectora auita Puer.

Par

Par Aulæ, ſceptriſque ſuis; iam ſuſtinet Orbem
Alcides, æuo, haud robore Athlante minor
Hæc Lacheſis dum fila æui trahit aurea, rupit
Atropos inimiti pollice ſæua nimis.
Tu cadis,& quà ſol moritur, Sol aureus alter
Occidis, vrna eadem condit vtrumque iubar.
Ille ſed en ſurgit rediuiuo lumine, Soles
Nempe vna extinctos non capit vrna duos.
Tu magnæ Soboli,&, vacuæ; Pater, ingemis Aulæ,
Et pulſat geminus pectora anhela dolor.
Hinc viduata vrgent te Regna,hinc funera Nati
Prole Pater, ſimul & Principe Regna vacant.
Partire officium: pendentia Mauſolæa
Hinc Nato ſurgant, fumet,& ara focis.
Hinc tibi poſteritas ſit curæ; Conſule Regnis,
Et Dominatricis Sceptra tuere Domus.
Pronuba fax thalamos renouet, dextroque hymenæo
Impleat Auguſtum regia Virgo torum.
Spondeat,& plures genialis tæda Philippos,
Multuſque inſtauret ſecula longa nepos.
Sitte color: pulchra magnus ſe prole Philippus
Exprimat,& Sobolis viuat in ore Pater.

Ioan-

# Ioannis Auſtriaci Caroli V. Cæſaris Filij.

## *ICON. IX.*

IVppiter Auſtriadum, mundi Rex Ille latini,
Regia cui dat Auis tela triſucla biceps?
Carolus ille Orbi dedit hunc: virtute Parenti
Fulmineo Soboles par, ſimiliſque fuit.
Artifici incidit Mauors cunabula ferro,
Expreſſitque Atauos martia cuna Duces.
Faſciolas oſtro niueas diſcreuit Enyo,
Et Bellona ſua ſtamina pinxit acu,
Spicula ſunt bimo, Clypeique crepundia Nato,
Bellica ludenti timpana, & haſta ioci.
Vix Coma flaueſcit iuuenili textilis auro,
Cum tegit auratas Auſtrius ære Comas.
Cernitis? vt vigiles fallat, bellumque miniſtret,
Belgica, mutato Principe, Caſtra ſubit.
Induit in Maurum vultus, vibratque Capillum,
It ferrugineus pulchra per ora color.
Expectate Iouis penetrabile fulmen Iberi,
Regia nanque aer nubilus ora tegit.
Non extincta animo fax eſt; gena nigricat; atqui
Acrior atrato flamma ſub ore latet.
Inſilit ergo alacer; rutilo iam fulminat enſe,
Iam feruet, Batauo quà riget Vrſa gelu.
Arctous viden immoto ſtet territus Albis
Amne, timor gelidas injicit ipſe moras.
Aurea nec mordet Borealis fræna rebellis,
Cum tenet armipotens Belgica fræna manus;

At

At iam Threiciis furit æquor claſſibus, arcus
Curuat & è puppi barbata luna ſuos
It Scythicum ſydus vultu pallente, trahitque
Arces milleno remige veſiuolas.
Nauigat intextum roſtratæ Pelion Oſſæ
Cæduus & pelago velificatur Athos.
Aequora vaſta latent, Cœlum vndique. & vndiq; Claſſis
Aequora nempe graui delituère metu:
Parte alia Auſtriacus metuendam fœdere Claſſem
Chriſtiadum, auſpicijs temperat ipſe ſuis.
Hic Venetus dat vela Leo: diſperſaſpet auras
It iuba, ceu vento nauiget ille ſuo.
Hic Tuſchus Triton, luctantis legifer Euri
Hic ligur, hic niueo ſtemmate notus Eques.
Innatat & latium turritum, & pinea Siren,
Et vehit Hiſpanam Doris anhela trabem.
Flatibus it fauſtis agmen: comitantur euntem
Mars, Nemeſis, virtus incl ta, fata, Deus.
Iam dira æratæ veniunt ad Claſſica Claſſes,
Bellica iam pugnam timpana, & æra canunt.
Fit gradus. Igniuoma puppes ſe voce laceſſunt,
Telaque, vibrato fulmine, ahena tonant.
Terruit horrificus fragor aſtra, remugijt æter,
Aequora & alliſis ingemuere vadis.
Fulmineis immixta globis volat acta ſagitta
Miſſilis, hinc ardet ferrea, & inde pila.
It fumus, conditque iubar reuolubilis vmbra,
Aſperat & cæco prælia ſæua mari.
Iamque recrudeſcens miſcetur pugna, carinæ
Vndiuagæ flictu iam propiore calent.
Claſſem vrget claſſis, ſtant roſtra minantia roſtris,
Et premitur puppis puppe, ratiſque rate.

Hinc,

Hinc, atque hinc cædes; diro diſcerptaque ferro
Corpora cum ſciſsâ Claſſe remiſſa natant.
Cærula ſanguineam labentem vnda ebibit vndam,
Mutatoque rubet decolor ore Thetis.
Mauors bella regit,pelaguſque tridentiger, anceps
Fluctuat æquata Lance,& vtrinque furit.
Helleſpontiacus tandem dat terga Tyrannus,
Lunaque pallidulâ territa fronte fugit.
Chilliadum inſequitur pubes, ſpiſſoque volantes
Relliquias Thracum fulmine,& ære petit.
Dilacerat, quaſſatque, & diſſipat æquore toto,
Naufraget vt toto Gens inimica mari,
In latium niueis tendit victoria pennis.
Vicimus! inclamat, vicimus Iſmaridas.
Auſtriadas belli fulmen, Dux inclytus ille,
Ille, triumphato Thrace, trophæa tulit.
Illius ad nutum volucres, facto agmine, venti
In mare pro latia Relligione ruunt,
Magnanimos vultu proceres ille incitat, ille
Inſilit,& dextra fulminat, ille tonat.
Quæ fugit, it terris peregrinis nuntia,& ipſa
Enumerat clades fracta carina ſuas.
Heros magne, vides vt palmis circinet arcum
Victa Triumphalem Thracia Luna tuis.
Par erat,vt, Thracum domitor, te Thracius Orpheus,
Raptaque Biſtonijs hoſtibus æra canant:
Pulchrius aut celebret Siren Tyrrena triumphos,
Quos peperit pelagus. nobiliore lyra.
Hinc tua Sidereæ tandem ratis æmula puppi,
Nobile mutato remige ſydus erit.
At florente nimis terris te proripis æuo,
Lux nimium præceps,& breuis Orbis amor.

Nimi-

Nimirum tua te citius Prætoria puppis,
Ardua pernici vexit ad aſtra gradu.
Nec culpanda tibi ſunt fata volantia, quando
Longæuam æquarant iam tua facta diem.

# Henrici Octaui Angliæ Regis.

## *ICON. X.*

INgens monſtrum Aulæ, Regum pudor, improba mundi
Labes, Sacrorum fax; hominumque ſcelus,
Hic ille Henricus. Peſtis ſimulacra Britannæ,
Vmbramque, & vultus expue quiſquis ades.
Aſſertorem Herebi, deſertoremque Latini
Numinis hic meritò cultus, honorque decet.
Henrici prima nil pube venuſtius, illo
Pulchrius aut æui flore virentis erat.
Crinibus adflarat Pietas iuuenilibus aurum,
Fronte ebur, ore niues auxerat alma fides.
At turpi nihil Henrico labentibus annis
Anglia, nil magnus turpius Orbis habet.
Fronte ingens nimia, vultum exporrectus, & ora,
Nare amplus, Craſſus pectora, Colla tumens.
Mole grauis pingui, fartuſque abdomine, talem
Cypris, & hæreſeos compoſuere manus.
Principio frugi. tractat fræna aurea auitus
Candor, Relligio Romula, Sancta fides.
Templa aris, gemmis aras ornauit, & auro,
Araque nobilior nobile pectus erat.
Tergeminus ſacra cenſet quæ Sede Quirinus,
Et Vaticano ſcripta adamante docet,
Hæc indeflexo currit pede idra Britannus,
Hæc illibati pectoris arce fouet.
Quin calamo haſtatus pro religione diſertus
Pugnat, & è prælo prælia dira calent.
En tibi Palladio victus Zuuinglius enſe,
En fuſus docto marte, Luthere, iaces.

At, velut effractis ardet ſpumoſus habenis,
Præcipiti & volucer tramite fertur equus:
Sic recti Henricus fregit dum fræna, rebelli
Cuncta terit præceps iura latina pede.
Vna mali cauſa eſt Bolenia, pellice nata
Pellex, Henrici filia, Sponſa, Lues.
Olli pallidulus ſuffuſus nectare vultus,
Et violis vernant lilia mixta genis.
Decepit color Henricum accenditque furentem
Floreus ambroſio qui calet ore cinis.
Continuò inſanis ardens it flamma medullis,
Ventilat & teneris fracta puella modis.
Nec mora, Connubio Heroinæ illuſit Iberæ,
Sacraſque inceſto polluit igne faces.
It pellex ſpurios Patri factura nepotes,
In Conſanguineos it bona nupta ſinus.
Ad noua miratrix monſtra hæc expalluit Aula,
Mox viſura nouis plena theatra iocis:
En vincla alternis repetita iugalia tædis,
En mox alterna vincla ſoluta nece.
Prima ruit tragico infelix Bolenia plauſu,
Vibratuſque rubet colla per alba chalybs.
Huc ades Oebalio Seimera ſuperbior oſtro:
Heu te pronuba poſt ſceptra venena manent.
Pulchram ardet Parrham, mox igne vlciſcitur ignem
Iam Cliuenſis adeſt, iamque abit illa toro.
An ſecura premes geniale Hauuarda cubile?
Secura es, cum te ſtricta ſecuris habet?
Coniugis egregij ſunt hæc data munera ſponſis,
Exilium, carcer, flamma, venena, chalybs.
Cumque ſuas vario nuptas confecerit ictu,
Tandem Sacra Agni Sponſa perempta cadit.

Able-

Abligit en latij faſces & iura Senatus,
  Inque nouas acies transfuga, & hoſtis abit.
Sciſſa nouum, heu facinus, caput induit Anglia: cudit
  Myſta nouus noua mox ſceptra, nouamque fidem
Illigat, abſoluit, leges fingitque, refingitque
  Exlex, Empyrei iura, Herebique regit.
Eraſum Sacris è puluinaribus aurum
  Regis inexpleti guttura anhela vorant.
Non humero chlamys, aut Sacræ [illegible]tta aurea fronti
  Fulget, & extorris Præſul, & exul abit.
Nec Cererem flamen libat, nec Sacra propinat
  Diues, mutato nectare, vina calix.
Plurima quin diro mactatur victima ferro,
  Chriſtiadum, & Thameſis ſanguine arena rubet.
Nobile dat pietas iugulum, exertamque ſecurim
  Excipit immota fronte reuincta fides.
Vndique diſſectis exundant pectora venis,
  Vndique purpureo martyr in amne natat.
Nec tanto ſitis extincta eſt inſana cruore,
  Mortua dum frigent pectora, adhuc ſitiunt.
Nam ſubit vt lethum, ardentem cratera phalerno
  Sorbet, & effundit dona ſuprema gulæ.
Sic Herebo infelix libat, vino ante ſepultus
  Quam tumulo, atque animam ſic vomit in calicem.
Sacrarat Veneri Vitam; nunc diuidit æquè
  Imperium, & Baccho triſtia fata dicat.
Cumque mero calet, & vicino funere friget,
  Omnia perdidimus dixit, & interijt.

An-

# Annæ Boleniæ,

## ICON. XI.

QVid vultus animas, pictor, quidue illinis oſtro
Quæ fœdare magis debuit ora color?
Fallimur? an tabula hac ſpirat Boleniæ clades
Anglica; ſat pellex indole nota ſua eſt.
Hæc inerat malis viola, iſthæc ore venuſtas,
Talis & attrita in fronte pudicitia.
Degener haud ſpurijs forma eſt natalibus, ore
Fert Matrem, Henrici è pellice nata lues.
Labe Patris, Matriſque oritur, culpaque parentum
Præluſit ſceleri Caſtior Anna ſuo.
Prima videt Gallus flammarum exordia, primas
Illa Cupidineas concipit Aula faces.
Incipit argutos hic tendere Cypridis arcus,
Corda Dionæis frangere docta modis.
Nuſquam viſa rudis. Veneres reuolubilis omnes
Induit, eſt eadem ſemper, & eſt alia.
Compta, incompta comas, formoſior arte videri
Vult, renuitque artes ſic iuuat arte ſuas.
Fronte ſuper niuea, roſeoque alternus in ore
Nunc ſua cudit amor, nunc ſua tela pudor.
Et volucres iacit obtutus, mox vela coercent
Ducta oculos, parca & pectora luce beat.
Blanditur riſu, ſubitoque recurrit honeſtas
Fronte, ſimul rigido blanda ſupercilio.
Docta breues miſcere ſales facunda, tacet nunc,
Nunc pretium formæ gemmea lingua facit.
Sic animas bellè libratque, rapitque viciſſim
Anna, Menandræa Thaide docta magis.

Anglia, proh quali rutilat tibi crine Cometes,
Cum repetit patrios comptior Anna lares
Iam tua Sanguineus moderatur ſrena Tyrannus,
Iamque ruunt tragicò Regna Britanna metu.
Excipit Henricus venientem, atque ebibit ardens
Formam oculis, ſubito & pectora ab igne calent;
Natam ardet genitor, genitorem exutus; & illa
Natam exuta, ſuum ſauciat igne Patrem
Relligioſa neſas horret natura: Parentis
Conſcia luctantur viſcera, iura vetant.
Heu priſca Arctois redeunt exempla Britannis,
Et renouat Cynaram ſubdita Mirra ſuum.
Cede tuas Catharina faces Auguſta, torumque,
Inclita & Imperij ſyrmata cede tui.
Aſpicis? inceſta Bolenia regnat in Aula,
Illa tuas chlamydes ſurripit, illa Virum.
Regina es, nec ſceptra quatis, ſine Coniuge Coniux,
Et vidua,& Coniux es, Catharina, ſimul.
Proh ſcelus infami pro pellice pelleris Aula,
Pro Caſta Soboles coniuge iuncta toro eſt.
Tantum Annæ potuere artes, pretioſaque formæ
Illicia,& mendax os, facileſque doli.
At Soboles it plena Patris, mox nata Mariti
Fit genitrix fratris, fit Soboliſque Soror.
Nec ſiſtit pellex, nam fratris adultera, Patri
Illudit, varios ſollicitatque procos.
Eſtque Venus Veneri gradus,& fæcunda malorum
Creſcit lernæa ditior Anna lue.
Sed iam lenta trahant vltricem Sydera ſortem,
Fatalis meritam voluat,& vrna necem.
Expediat faſces Nemeſis, rigidamque ſecurim,
Et tantum ceruix expiet vna neſas,

Iam fatum, ferrumque ſupra caput incubat atrox,
Penſilis & certo vulnere pæna cadit.
Tolle oculos, frontemque; aude Bolenia, formæ
Splendida venalis cerne trophæa tuæ
Hic te infandus Himen, & mille cupidinis artes,
Et ſcèlus, iniuſta raptaque ſceptra manu,
Hic noua te pellex, hic Coniux inclyta lecto
Pulſa ſuo, immeritò hic regia Luſa Soror
Hic Pater, & Coniux, læsa hic te Numina ſiſtunt;
Eſt vltrix grandi crimine pæna minor.
Improba dat tandem iugulum, volucriſque ſecuris
Sibilat, & plaudit, dum ferit, ipſa ſibi.
Eminus it ſciſſum Caput execrabile, truncoque
Impia deſerto tangere membra pudet.
Manibus at nigris ſoluat nunc iuſta Britannus:
Par eſt Reginæ Soluere iuſta ſuæ.
Pro tumulo inceſtus thalamus ſtet pegmate celſo,
Ardeat & ſtygio fax radiata lacu.
Sit Libitina Venus, ſit præfica triſtis Erymnis,
Dentque Sacro Cineri thura Sabæa proci.
Nec violas habeat toties violata, Sepulcro
Sit tandem hæc magnis lamina ſculpta notis.
Conditur hic Anna, Annales quæ polluit Anglos,
Hic Cinis, & Regni fax, fideique fuit.

# Eliſabethæ Angliæ Reginæ.

## ICON. XII.

ORnes & hoc, Regina, Muſeum; tuam
Tabella,& acer iambus iconem notent.
Regina es, inclyta faſcibus, Sceptro & graui,
Vittata,chlamydata,& comas fuluas micans
Splendente gemma,& cultus Attalicus tibi.
Quid ni ſuperbos inter Heroas locem?
Salue, Lues regia, coronatum malum,
Fideique Scopulus, moris & ſyrtis boni,
Probrum Anglicani nominis,dedecus tui.
Virgo tenus nomine, nec vni coniugi
Virginea pellex nupta, non vno in toro
Niuea, pudoris monſtrum,& Aulài pudor;
Incerta naſceris, genus dubium tibi:
Henricus aut te genuit, aut quis Caſtior;
Natamque te Henrici probat frontis hic honor,
Et chlamys,& illibata Caſtimonia,
Succeſſionis iure debita hæc tibi.
Eſt certior mater, nec es tota ſpuria:
Illa inclytæ famæ, illa magni nominis,
Et faſcinum pulchrum boni Patris, illius
Nata, meretrix,coniux, & Angliæ Lues,
Bolenia, infandum malum, & fax publica,
Illa gremio te fudit,& luci dedit,
Celebris puerpera Sobolis celeberrimæ.
Tu creſcis inter amænipres litteras.
Haud te Minerua nobilis artifici acu,
Haud Mœonia tela capit, haud phrygius labor;
Sed Pallas excuſſa è capite placet Iouis,

Et

Et Phæbus auricomus, choruſque Virginum,
Quæ dulce pulſant pollice auratam cheſim.
O docta muſarum Comes, Britannica
Carmenta, quid pólitiores excolis
Artes? & animum ſordibus fædas tuis?
Illimis vnda Permeſſi eſt, & vnda Caſtalis
Caſtior, & Heliconis fluit pure latex,
Et Candidula muſa eſt puella bellula.
Tibi fęda mens. Nec indole eſt melior fides,
Verſatilis ſimulas piam mentem; foris
Species latina, intus lues Caluinica
Spirat, docetque, & pectus informat tuum.
Sic ſceptra fundas aurea, & Regnum voras.
Exuta mox vultum latinum, tibi redis,
Caluiniana ſcenam & imples Anglicam.
Heu quale ſydus fulſit aurata Coma,
Cum ſæua Princeps imperat ſerto nitens.
Dirus Cometes, horridus, iam depluit
Sæuo imbre nexus, Compedes, ferrum, cruces.
Regina Syrma regium haud Tyrio Cado,
Haud pingit oſtro nobili, Sanctus cruor,
Fluens per alba colla muricis vice eſt.
It fœminæ mentitus habitum ſiculus
Phalaris, it ore truci tigris, & ferox
Leæna, falcato vngue, non ſceptro potens.
Vbique lictor, & crux, bipennis & Sacro
Cruore madet, & reus habetur, qui eſt pius.
Et qui latina Sacra litat, ille eſt nocens.
Mactare thura Numini, & calida prece
Prenſare Cælites; & aras ponere,
Regem & Sacrorum cum Tiara Principe,
Et ſceptra Numinis Vicaria de genu

Venerari, id eſt Capitale crimen, & Scelus
Se Principem, ſe Antiſtitam Gentis facit,
Et eierato Capite gentium omnium,
Parente publico, & Tonanti proximo,
Se nuncupat Sacrorum, & aſtrorum Arbitram,
Aſtriferum & aſſuit ſibi Petri caput,
Monſtrum biceps, ſeptemplicis & hydræ Soror,
Gygantum & anguipedum genus, bello graui
Quæ ſydera petit, & Quirinum Principem.
En triplici ſuperba ſerto it fæmina,
Et Principatu fertur in Cælum nouo.
Qui temnit, aut muſſat, crucem intentat malam,
Exilia, quicquid & tulit priſca rabies:
Florem nec æui reſpicit, caniciem aut Senum,
Aut inter Aulæ munera exactos dies,
Aut purpuram, aut auro coronatas Comas.
O quanta, Thameſis, tunc tibi fabula data eſt,
Neque ſatis vndis plangis hanc ſcenam tuis.
Stuartha, flaua Comas, & ambroſias genas
Spectata, & aurato Scotorum Stemmate,
Regina, bellicæ olim & amor Galliæ;
Illa Soboles Regum ſed indole clarior,
Moribus & aureis, & intrepida fide:
Illa niueam ceruicem, & Auguſtum caput
Dedit ſecuri, publicum ingemuit forum,
Theatra nullus fronte non miſerabili
Funeſta, dira, aſpera tuetur lachymans.
Tu ſola plaudis tibi, triumphis & tuis,
Cruenta Colchis, Orbis & monſtrum recens;
Tu Cæde miſeranda, ruina & nobili
Ad aſtra Regnum ſurgere æſtimas tuum,
Putaſque tutari ſuperbum bene caput

Capite

Capite minuto Principis lectiſſimæ.
Celſior at Illa Solio, & Aula, & Inſula,
Et maior impia indole,& iuſſis tuis,
Vides, vt alta fronte ferrum prouocat
Penſile, nec animum, Colla ſed flectit pia?
Plaudente Cælo en occidit, ceruix iacet
Inhonora, ſordidata, ſed Cælo micat
Mens grandis, auro culta, pulchro & ſydere
Radiata; Celſam Regiam faſtu premit
Quod abſtulit nempe Soror, inceſta, improba
Reſtituit inter aſtra munificus Deus,
Cruorem & effuſum rependit, quod bibit
Inter Coruſcos Cælites nectar merum.
Hæc inter expetita millenis procis
Innupta Carnifex, laniſta & regia
Sceptro ſuperbit, & Dynaſtarum prece;
Suſpenſam & Europam tenet thalamis ſuis,
Et huic, & illi Punicam obligat fidem,
Regeſque purpureos, perampli cupidos,
Et Candidatos Regni, & auguſti tori,
Vexatque, diſcruciatque, ſpe & torquet mala,
Doloſa, mendax, ludifica, Cunctis grauis.
At quod Sacrorum Antiſtitam purus decet
Animus, & illecebris procul mens candida,
Innupta tandem permanet, tædam iubet
Ardere longè, nuptiales & faces.
Auguſta meretrix innuba it pede libero,
Iugumque Connubii excutit collo graue;
Floremque libatum, & pudicitiam Sacrat
Tibi, Venus Acidalia. & Infanti tuo.
Iubetque Virgo proſtituta marmore
Emortuali litteris ſcriptis legi

Famoſam in Orbe toto Caſtimoniam.
Ridentque Manes & Sepultos ludere,
Mendacia & ſua ridet infandus Cinis;
Sic conſeneſcit Pontifex Britannica,
Inuiſa cunctis, ludicra Orbis fabula,
Europæ & altum dedecus, fax Angliæ,
Et ſubditorum ſubdita, & Regum iocus,
Timor omnium grandis, viciſſim omnes timens,
Nec tuta, nec ſecura Regnorum arbitra,
Genitrice digna filia, at nequior Patre.

Ale-

# Alexandri Card. Montalti.

## ICON. XIII.

VRbis Alexandrum dominæ floremque, decuſque
Eſt animus, tabula,& muſa animare breui.
Scilicet vt magni rediuiua in imagine Romæ
Montalti redeant nomina,& ora ſuæ.
Ardeat Oebalio latialis murice læna,
Regaleſque animi purpura ſignet opes;
Par capiti cultus; crinitum fulgeat aurum,
Pictum oſtro, roſeo, & vertice flagret apex;
Munera magnanimi ſunt hæc inſignia Sixti,
Grandia, at è grandi nobiliora manu.
Syrmate nobilitat latio magnum Ille Nepotem,
Nobilitat magnus nobile Syrma Nepos.
Vibrat vtrinque nitor: virtus hinc vellus inaurat
Purpureum, hinc tyrio vellere & illa micat.
Aſpice nunc animum. Pallet roſa textilis; ingens
Quælibe t eſt animo diuite pompa minor.
Iura det auguſto maieſtas inclyta vultu,
Rideat & blando Comis in ore lepor.
Exul Romulea candor ſincerus ab Aula,
Magnanimo inſideat pectore, fronte micet.
Aurea nam Comptæ exoſo mendacia linguæ,
Dixiſſe Heroi pauca, obijſſe fuit.
Illius hæ laudes: præſtare inſignia, velle
Maxima, plura animo voluere, pauca loqui.
Munificam nunc pinge manum: quæque aurea grandi
E dextra fluxu diuite vena cadit.
Vicit opes animo: gazaque, auroque micanti
Auguſto inferior, cætera maior erat.

Indi-

Indigna nobilitas cenſum, cenſum indiga virtus;
Ars pretium, atque inopes muſæ habuere lares.
Attalico inſignis cultu domus, hoſpita mundi
Publica, & ipſe Orbis publicus hoſpes erat.
Scilicet, vt ſpectet ſeptemplicis ardua Romæ
Culmina gens alio plurima ab axe venit.
Flumine qui gelido Tanaim, qui potat Orontem,
Aurea quemque Indi diuitis vnda beat.
Confluit huc Pharius, Graiuſque, huc accola Tauri,
Illyricus, Theuton, Sarmata, Belga, Dax.
Non aurum, aut vectam hi Memphim mirantur in Vrbem,
Non quæ Phidiaco à pollice tecta nitent.
Nec quæ Dalmatico fulgent laqueata metallo,
Ardua vel Côa templa animata manu.
Prima at Cura ſubit Montaltum agnoſcere, florem
Romulidum, & terris nomina nota ſuis.
Hunc Pharias ſupra moles, ſupraque Latinas
Munditias, ſupra & culta theatra putant.
Ceu Romam faciat magnam Montaltus, & illa
Indole, non auro ſplendeat ipſa ſuo.
Hinc celebrant: varioque licet gens perſonet ore,
Vnanimis vario è gutture lingua ſonat.
Ille hominum, magnique Pater ceu prodigus Orbis,
Excipit ignoto à ſydere, & Orbe viros.
Altrix dextra fouet, nimio non parcitur auro,
Tecta peregrinis ſummaque, & ima patent.
Creſcit fama Viro, fit Princeps grandior vſu,
Clarior eſt virtus inclyta, quò propior.
Et qui magnus erat vultumque ignotus, & ora,
Cognitus à vultu, ac indole, maior erat.
Iam, noua ſurgentis cernis miracula Templi?
Iunctaque ſeptenis culmina celſa iugis?

Nomi-

Nomina dat Vallis; lambunt ſed ſydera valles,
  Celſa vbi Montalti dextera ſaxa locat.
Templum auguſtum, ingens, cultu, pretioque ſuperbum;
  Inter Auentinos gloria prima lares.
Vndantes circum populos capit area gyro,
  Area ter magno ſat ſpatioſa ſinu,
Aſſurgit ſolido, ſectoque è Tibure moles,
  Gandet & in niueo pariete culta Paros.
Incubat immenſo teſtudo penſilis arcu,
  Et picturato fornice Templa tegit.
Hinc celſi miranda tholi faſtigia cernis,
  Summa giganteo pergere ad aſtra gradu;
It ſublimis apex, Rex aeris, aurea ſerta
  Sydera dant, altum nubila dant ſolium;
Intus alit flammas, rutilum quas ſuſcitat aurum;
  Luce repercuſſum, flagrat & igne locus.
Quid referam veros imitantia culmina vultus?
  Quæque ambit varium picta figura tholum?
Immixtæ Diuum hic acies, atque agmina mille,
  Quæ beat æthereo nectare ficta manus.
Felices animæ, æternùm queis viuere Cælo;
  Aeternum & terris viuere ab arte datur.
Quis templi cultor, quæris? nempe incolit Aedem
  Illa Thienæi ſtirps generoſa Ducis.
Aurea Gens, nullo quæ fænore diues, ab aſtris
  Aethereas vultu ſupplice quærit opes.
Illa ibi Ieſſeam ad cytharam plectroque diurno;
  Nocturnoque ſonat, tangere docta lyram,
Noxis illa ſuas attentas commodat aures,
  Illa etiam inſontes fulminat, illa tonat.
Iam cerne Exquilijs, vernant qui collibus horti,
  Aurea gemmifero quos rigat amne manus.

Dul-

Dulcius haud alibi ver eſt, non textilis vmbra
Clarior, haud alibi grandiùs vnda ſonat.
Simplicitas luxu certat, neglectaque cultis,
Nec cedit Romæ villa ſuperba ſuæ.
Sunt hæ deliciæ Montalti, eſtque ipſe viciſſim
Floricomi genius, deliciæque loci.
Scilicet, is vultu exhilarat. fæcundat & hortos,
Ver ipſe, & Zephirus, Phæbus, & vmbra ſimul.
Occidit at breuis Vrbis amor, cui vota Quiritum,
Et latij plauſus ſceptra ter ampla dabant.
Nunc propè ſydereo fulgentem ſyrmate Sixtum
Te melior decorat purpura, magne Nepos.
Dum ſeptimgemino ſtabit Roma inclyta monte,
Romula Montaltum marmora, & æra canent.

# Petri Aloyſij Card. Carafæ.

## *ICON. XIV.*

ABijce Phœbe Lyram, argutumque imitata Timantem,
Fingat Romulei Principis ora manus.
Magna ſed in paruo ſignet, vultuſque ter amplos
Contrahat anguſto margine tela breuis.
Maior in exiguo labor eſt, & gloria: punctum,
Plurima qui paucis dixerit, ille tulit.
Inclyta quos oculis, frontique afflauit honores
Parthenope, hos bellè linea prima notet.
Regia mox vultu maieſtas ſpiret Auorum,
Et totum in roſeo ſplendeat ore genus.
Immixtus grauitate lepor ſtet fronte, venuſtas
Mulceat, & comis grande ſupercilium.
Innatet atque genis candor ſincerus, aperti
Exprimat ingenuas pectoris ille niues.
Oraque deſcribat facundæ gratia linguæ,
Cui breuis, & quæ fert grandia, vena fluat.
Iam caput auguſtum, doctæque Sacraria mentis
Pingere qui valeat carmine, nullus erit.
Par Orbi ingenium, complectitur ardua mundum
Vis animæ, culta & pectora nulla latent.
Sæpe alſit, iuuit ſæpe impalleſcere chartis,
Suetus iura hominum voluere, iura Dei.
Nec grauior Pallas, rigidumque induta Catonem
Reppulit à ſtudijs otia amæna ſuis.
Ingenij fauet illecebris, muſiſque diſertis:
Flos latius, Graiæ munditiæque placent.
Perge: renidenti diues ſtet fronte Tiara,
Et religet Sacrum vitta latina caput,

Pen-

Pendula & ex humeris fluat Infula, fulgeat auro
  Luſa chlamys, quaſſet tortaque ſceptra manus.
Hoc Paſtor lucanus oues, hoc diuite cultu
  Rexit, & hoc populis publica iura dedit.
Munifica Princeps dextra, fuit ore verendo
  Antiſtes, Cenſor fulmine, amore Pater.
Quà vitrea Eridani Phaëton tumulatur in vrna,
  Gemmea & Heliadum lachryma ditat aquas.
Aſtræam Cœlo reuocat, reducemque tuetur,
  Pendit, nec pendet pondere libra pari.
Fax ſcelerum, recti vindex, myſta inclytus æqui,
  Quæ torquet Themidis tela vel ipſa placent.
Artibus his pulchrè Picenis regnat in oris,
  Temperat & facili ſceptra Quirina vice.
Aurea frena manu ſed dum moderatur, ab Axe
  Carafam Auſonio Gens peregrina vocat.
Itque ardens gelidam vittatus Præſul ad Arcton,
  Belgica vt Vrbanis faſcibus aſtra regat.
Vt videt, vt frontem veneratur mitior Vrſa,
  Et flagrare ſuas gaudet amore niues.
Murmure plaudit, Io, Rhenus, patrioque reuinctas
  Frigore, in amplexus ſoluere viſus aquas.
Genti grata Viri probitas, mentiſque profundæ
  Conſilium, niueo, & pectore cana fides.
At iam Cæſaries Romano fulgurat oſtro,
  Et Tyrius merito crine ſuperbit apex.
Purpura at erubuit, ſeris quod pigrior annis
  Venerit, & lento murice dona tulit.
Gloria Pamphilio nempè hæc ſeruata Quirino eſt,
  Auxerit is tanto ſydere Romulidas.
Magna dedit, maiora refert: hoc pulchrius oſtro
  Aurea Pamphilium fertur ad aſtra decus.

Con-

Contrahe Phæbe manum: Sat linea docta loquuta eſt,
Et vetat ingenuus longius ire pudor.
Tantùm ſiſte bono vultus in lumine, & inter
Pendeat effigies ſydera, digna loco.

# Caroli Emmanuelis Sabaudi Annibalis Pæni.

## ICON. XV.

Fallimur? Eſt vnus tabula depictus in'vna
Heros? anne Duces exprimit vna duos?
Sunt gemini vultus, ſimili ſed imagine ſpirant,
Vt geminos geminis vultibus eſſe neges.
Aſpicis? eſt eadem rigidà vis martia fronte,
Eſt idem in grandi bellicus ore vigor.
Annibal hic Latij terror; viden igneus ore
Fulgurat? & dira fronte minatur adhuc?
Carolus hic Regum ſanguis, terrorque, Sabaudus
Dux ille, Heroum floſque, decuſque Ducum.
Vt virtus eadem, bellè ſic nomina miſcent,
Annibal ille Italus; Carolus hic Lybicus.
Curre per egregios gemini nunc Principis actus,
Annibal, & laudes ſibet vterque ſuas.
Prætextamque, ſagumque vnà induit Afer, & infans
Iurat in Auſonios bella cruenta Duces.
Magnanimum prima vidit lanugine Iberus,
Vibrantem tenera fortia tela manu.
Cum bellatricem rutilo petit enſe Saganthum,
Præludit ſpolijs, Roma ſuperba, tuis
Carole, florenti par eſt tibi bellica pubes,
Et premit auratum Caſſis ahena Caput.
Bullatuſque puer ludis per tela, per enſes,
Grandia maturi hæc omina Martis erant;
Inuolat æthereas mox Alpes Annibal, illo
Vertice vt in latium vulnera certa notet.

Nec

Nec mora: terrificis ruit alto à culmine, dura
 Fert Italis, ferro vindice, fata plagis.
Decolor Aenotria iam currit cæde Ticinus,
 Cæſaque per Trebiam Romula membra vides.
Quà tumidus lambit Cannenſes Aufidus oras,
 Conſuluit trepidæ Conſul vterque fugæ.
Metitur modijs gemmas, anuloſque latinos,
 Et dolet auratas Daunia ſciſſa comas.
Carole, Sydereis tu priſca ſub Alpibus ipſis
 Sceptra quatis, fauces & regis Italiæ.
Ardet dextra pugil, ferro metuenda, monetque
 Eſſe ſubalpinis arcibus Annibalem:
Hinc, atque hinc Reges intorto fulmine terres,
 Inferior ſceptro Regibus, enſe prior.
Audes intrepidus bello concurrere aperto,
 Atque vbi vis Martis defuit, arte vales.
Scilicet ardenti qui par es fulmine Pœno
 Annibali, par es callidiore manu.
Luſcus nempè Afer, ſed mens fuit acrior aſtu,
 Vi multùm, vafra terruit arte magis.
Carole, non impar genio, verſatilis ardes,
 Bellaque verſuto Marte timenda geris:
Sic tua bellatrix ludit prudentia Reges,
 Callidus enſe, aſtu fortis, & ingenio.
At bellatorem Libicum Dux lentus adortus,
 En cunctabundo Maximus enſe domat.
Fractum armis, frangit mox & Seplaſia luxu
 Campano, & tandem pota venena necant.
Scilicet, haud vno cecidiſſes, Annibal, hoſte,
 Ni Coniuraſſent arma, venena, Venus.
Nulla ſed Italicum virtus ardentior armis
 Annibalem fregit, lenta vel ira Ducum:

E Nec

Nec dura illecebris patuerunt pectora blandis,
Pectora, quæ virtus forti adamante tegit.
Fortior, an melior? neſcis; nam lancibus æquis
Blanditias virtus, vim pepulere manus.
Gloria ſed Pœno fuit hæc non parua, ſenatu
A latio egregium promeruiſſe decus.
Scilicet effictos Getulo marmore vultus
In medio Vrbs iuſſit martia ſtare foro.
Phidiaco ſpirat Cælo, & quos terruit olim,
Romuleos inter cernitur ille Patres.
Hoſtem Roma probat magnum Saxoque perenni
Non metuit clades nobilitare ſuas.
Artifici at virtus ductu generoſa dicauit
Saxa Subalpino nobiliora Duci.
Haud niueam iuſſit chalybem vexare Caryſton,
Non æra Iſthmiacis ora animare focis.
Sed famam æternis aurum perflare ſonorum
Vocibus, & magni dicere facta Ducis.
Hæc æquant ſimulacra æuum, nec clauditur vna
Roma, ſed toto ſpargitur Orbe decus.
Carole, ſic viues, mundo plaudente, vetuſto
Grandior ipſe recens Annibal Annibale.

D.An-

# D. Andreæ Cantelmi, vi bellica clariſſimi.

## *ICON. XVI.*

CVi vigor eſt ardens vultu, cui pectore Mauors
Feruet,& exertà rutilant cui fulmina dextrà,
Cantelmum, viua ſpirantem in imagine cernis;
Non hunc Aoniæ imbelles finxere Sorores,
Sed Bellona ſuà formauit in ægide, & acre
Pro minio imbutum tractauit ſanguine ferrum.
Concolor eſt animo frons imperterrita, & ora
Teſtantur, quæ corde latet vis ignea forti.
Belligerum fecere Ataui, generoſaque claros
Fuſa per Heroas regali ab ſtemmate virtus,
Nam proauos iactat Reges ſtirps clara Britannos,
Quos dum Martis honos accendit, bella ſequutos
Ardua, miratrix tellus Aenotria vidit.
Inde ſinu excepit Siren; tituliſque Superbis
Inclyta, Veſtinis Gens aurea regnat in oris.
Aequat ſtemma ingens animo Cantelmus, auiti
Nominis,& pulchræ generoſior indolis hæres,
Aſpice vere æui armigeræ præludia mentis,
Atque paludati, & creſcentis ſemina Martis.
Vis inerat membris ardens, faciliſque moueri
Virtus, atque habili viuax in Corpore robur.
Pronior armorum ſtudijs, ſeu flectat anhelum
Alipedem,& laxet Piſæo in puluere curſum;
Dextera ſeu ludat, diſtricto & fulguret enſe;
Seu volet haſtatus, quercumque infringat ahenam,
Par genio ingenium. Iuuenilibus hauſerat annis

Egregias bellandi artes, & dictata Magiſtri
Certa Siracuſij: metiri protinus Vrbes,
Terrarumque ſitus, atque interualla locorum
Sciuerat; hoſtiles quis proruat impetus arces?
Et quæ fulmineæ tutentur mænia pinnæ?
Quo ſint Caſtra loco figenda? & quo cingere vallo
Ars iubeat? bellatrices quæ forma phalanges
Explicet? an ſpecies præſtet lunata quadratæ?
Triuerat & doctus monumenta volubilis æui,
Argolici ſolitus faſtos, latijque Gradiui
Voluere. & horriſonis percurrere ſecula bellis
Aſpera. Magnorum hinc Capitum facta inclyta, & artes
Nouerat egregias, & prælia fuſa per Orbem.
Quis vigor Aeacidæ? Tydidæ aut ignea virtus?
Quis Laertiades vi mentis, & arte Pelaſga?
Quantus Alexander? Patris quo pectore, pulchrè
Inuidus, excepit lachryma manante triumphos?
Nouerat & Cannas, Trebiamque. & fulmine Pæno
Attonitum latium, pulchras & ſciuerat artes
Scipiadum. Curijque & pectora magna Camilli.
Arſit & hinc Iuueni virtus: vix pube decora
Purpureus primò vultus floreſcit in auro,
Cum teneris patriæ vulſus Sirenis ab vlnis,
Inſilit in rigidam criſtata fronte palæſtram.
Primus anhelantem rutilo videt Inſuber enſe
Cantelmum, & citra pubem miratur adultam
Bellonam, grandi maturam & Marte iuuentam.
Sic forti valet ille manu, ſic prouidus acri
Conſilio, primis par Caſſibus inclytus Heros.
Nec mora belligero mutantur Sceptra, Capeſſit
Grandia Dux maior, moderatur & agmina nutu,
Hinc Rhætos terret validis, & Theutonas armis,

Inde

Inde aperit virtus illi ſpatioſa theatrum
Latius ardentem & bello vocat area maior.
Scilicet Hiſpanus quà Iuppiter attonat Arcton,
Magnarum & ſpolijs animarum turbidus Albis
Intumet, aurata iuſſus volat igneus haſta.
Hic belli non fictus agon, hic gymnade cruda
Exercet Bellona ſuos, hic Regia Martis
Biſtonij, hic lemnos vaſtis incudibus ardet,
Et chalybes, dextraque animos hic cudit ahenos
Mulciber artifici. Feruet mora nulla ſub Axe
Cantelmus gelida. Quis venerit Italus enſis,
Quis nouus Arctoam Arminius diuerberet Vrſam,
Belgicus haud vna cognouit clade rebellis.
Aequa animæ magnæ Martis data munera: tanto
Sub Duce flos Italum, & longæuus militat enſis.
Sic iubet illa potens Belgi, generoſior illa
Bellatrix, Soboles magni trabeata Philippi,
Magnanimis Heroina auſis, & nomine Clara:
Nempè Ducem, volucremque Ducis vim nouerat, acrem
Et mentem, certis & euntia tela lacertis.
Iam, quæ fama ſuo vocali prædicet auro
Cantelmum? ſinuoſa vndis non Moſa diſertis,
Non ſi milleno ſcaldis commurmuret ore,
Egregias libet laudes, & fortia facta.
Nunc frænare manu Batauos, nunc cernitur arte
Ludere, ſecuros inopina & fallere clade.
Inſilit aduerſas arces, atque ardua pinnis
Stare iubet ſigna, intexto fluitantia Rege.
Munit Vulcano, quà propugnacula ſurgunt,
Igniuomo, & circumfuſo, quà mœnia currunt,
Munit Neptuno: hinc gemino ſtant Numine tuta
Oppida, propugnatque hic vnda, ille igne tonante.

Nil citius, ſi incauta mora eſt, nil cautius illo,
Si mora lenta iuuat; nunc impiger ardet,
Nunc ſedet impauidus, cunctando & reſtituit rem
Teſtis Belgarum fulmen Naſſauius, acri
Sæpe laceſſitus Cantelmo, & ſæpe fugatus.
Teſtes ſequanici Martes, quos ille iubatus
Gallorum metus, & trabeatus colla ſuperba,
Cantelmus Leo, mutata vice, terruit ardens.
Sed iam læta ſuos celebrat Norlinga triumphos,
Et Ferdinando demeſſas auſpice palmas.
Quantus in obſtantes ardet ſe ferre phalanges
Cantelmus, ſublimis equo? quis fortius vrget?
Ipſe ne cornipedem ſtimulo mordente volucrem?
Ipſius an ſtrenuum virtus pulcherrima pectus?
Aureus it galeam, rutilumque it ferreus enſem,
Pungit, agit dictis, facundus voce, manuque
Impiger eſtque ſimul Dux cautus, miles & acer.
Tu, cui regifico latialis Purpura cultu
Splendet, progenies Regum, Tu magne, triumphas
Auſtriace, auratos vmbrat tibi pulchra capillos
Laurus: nec parcis generoſus laudibus æquis:
Cumque tuos decoras dictis, facundius enſem
Cantelmum laudas, bellantem Marte ſecundo.
Illius hinc late creſcit fama incl yta, & ingens
Creſcit honos, merito dantur noua munera. Belga
Iuppiter en ſummo regit æra tonantia iure:
Tum ſupremus apex belli, Arctoiqde Gradiui
Legifer, armorum Imperium, faſceſque capeſſit,
Iura dat & magnis Ducibus, celſaque ferocis
Mole ſupercilij Mauortia bella miniſtrat.
Hinc te, preſſa fero Catalaunia milite, ſupplex
Euocat: Oceanum transmittis, fulmine torto

Ocyor

Ocyor, aut Euro, [illegible] ſitibundis.
Auſtriaci columen ſceptri, magnique Philippi
Spes ingens, momentum belli, & dextera vindex
Aduenis: exanimes animos vt tollis? vt arma
Exacuis? dubij vt mutatur & alea Martis?
Hinc admota tuis fax pulchra, hinc territus hoſtis,
Gentilis tepet huic ardor, fit & acrior illis.
Fortunam tecum ipſe venis, fortunaque Virtus
Eſt tua, quam non crine tenes flauente, ſed hauſtam
Pectore magnanimo, totis complecteris vlnis.
At dum bella æquas palmis, immobile fatum
Te petit inſidijs: nam quis te vincat aperto
Marte, Ducum terror, Cantelme, potentum?
It ſecreta lues venis, & mox aurea rupit
Stamina, quæ nullus diſcidit Noricus enſis.
Morte ſed abſoluis pulchrè ſtipendia Martis,
Nam penè in media generosè occumbis arena,
Et ſtricto mucrone cadis, quo proteris æuum,
Et mortem exanimis virtute ſuperſtite vincis.

# Thomæ Mori, Magni Angliæ Cancellarij

## ICON XVII.

CAndidior niueo currat facundia lacte;
Exprimat vt Mori concolor ora labor.
Ingenio Candor, calamoque, & diuite lingua
Candor erat, puro & pectore cana fides.
Anglia dat puerum cunis, Sapientia fouit
Prima ſinu, preſſit nectar & alma charis.
At Mori quid parua refers cunabula? quando
Ingentem vidit cuna vel ipſa virum?
Non capit egregios animos anguſtior ætas;
Olli Cæſaries aurea, cura ſenex.
Vix roſeo vultus Iuueni pubeſcit, & ingens
Omnigena imbutum Pallade pectus erat
Spargitur in latium, loquiturque diſertior ore
Cecropio, atque eadem lingua bilinguis erat.
Libera ſeu numeris innectat verba ſolutis,
Seu iuuat emenſos arte ligare pedes,
Aequa lance ſibi certat, pugnatque ter amplo
Ingenium ingenio, os ore, lepore lepor.
Flexanimis Pitho eſt, flos ſuadæ, Apis Attica, Siren
Anglica, cum fandi copia ab ore fluit.
Cumque leuem Collo Cytharam ſuſpendit eburno,
Pectit & auratæ fila canora lyræ,
Facundo tenet auritas modulamine muſas,
Vincit & Aſcræi plectra Britannus olor.
Tam faciles canit ille ſales, grandiſque cothurnus
Tam diro reſonat pectine fata Ducum.

Gran-

Grandior & Phœbus, Pallaſque ſeuerior ardens
Ingenium muſa nobiliore beat.
Phocide nam maiori ſacroque Helicone, Lycæum
Immigrat, & vigili Porticus ampla placet.
Quæ Zeno, quæ docuit Samius, quæ docta Stagiris,
Quæque Siracuſius lucrubat arte Senex,
Pectore cuncta tenet memori, monumentaque voluit
Priſca manu docta & fronte rigata terit.
Ingenio mundum librat, verſatque volucri,
Vi mentis, rerum & ſemina nulla latent.
Quas habeant elementa vices? qui fulguret æter?
Qui tonet? & plouijs nubibus imber eat?
Quis regeat aſtrorum choreas? quæ prona rotatu
Sydera præcipiti torquet anhela manus?
Metiturque breuis ſpatioſa volumina Cæli
Circinus, & rapidas temperat arte rotas.
Aetere nec ſiſtit mens penſilis. Vtile dulci
Miſcet, iucundis ardua, pulchra bonis.
Virtuti pretium ſtatuit, diſcitque, docetque,
Inclyta quæ recti præmia, quodue decus?
Qui genio inijcias ſpumantia fræna? quid iram,
Frangat? & alternis quæ medicina malis?
Tum ſceptra informat Regum gemmata, notatque,
Qui teneant lentà regia lora manu?
Regnet amor? regnetne timor? quæ dira Tyrannis?
Vt rutilet pulchra relligione chlamys?
Artibus his ſtudium populi, Regumque meretur,
Deliciæ Thameſis, Morus, & Orbis amor.
Hinc facili vehitur pennà, qua firmate clarus
Attalico, largus præmia ſpondet honor.
Prælucet virtus ardens, fama inclyta eunti
Sternit iter, meritum hinc fulcit, & inde fauor.

It lateri fortuna Comes, nitidoſque curules
Expedit, & trabeas diuite pingit acu:
Auratus ſignatur Eques vir aureus. Aulæ
Mox vigilat grandi mente, regitque togæ.
Impiger & primis iam faſcibus inuolat, vnus
Cuncta ſupercilio Regna Britanna regit.
Ille ſecundus Apex Regnorum, & proxima ceruix,
Fulgida Rex quaſſat ſceptra, ſed ille regit.
Regem amat, obſequitur Moro plebs Anglica, & altum
Regem ornant, Morum gemmea ſerta grauant.
Nec lato inflatur clauo, titulisſque ſuperbis,
Aurea non Mori pectora mutat honos.
Sed tenor, & limes recti, & librata cupido
Diſpenſant iuſtà fræna decora manu.
Maieſtas facili ſtat fronte; venuſtus, & acer
Eſtque graui bonitas mixta ſupercilio.
Prima calet pietas ingenti at pectore, primus
Pungit Romulei iuris, & vrit amor.
Infractuſque Sacri tutatur ſceptra Quirini,
Arx Arcis Latiæ, lux, fideique Pharos?
Nec faſces, Henrice, tuos, vultuſque minaces,
Dura nec exerta cuſpide fata timet.
Cernis, vt inceſtos inflexa fronte hymenæos,
Impauido & turpes increpet ore faces?
Cernis, vt obiectet caput impenetrabile ferro,
Chriſti dum intacto vt vertice reſtet Apex?
Dat ſcindi intrepidus colla inclyta ab enſe Britanno,
Ne ſit Romulidum ſciſſa latina fides.
Sacra illibatis vtque hoſtia purpuret aris,
Purpurat ille ſua morte, litatque fide.
Aſpice nunc indigna tui monumenta furoris,
Henrice, & tanto à funere plaude tibi.

L, Re-

I, Regni lictor, Rhalatriſque, en vulnere ab vno
 Anglia communi vulnere tota perit.
I, iam par aſtris gradeſis, cum nobile ſydus
 Occidit, & prono tramite ab Axe ruit.
Sed iam frontis honor pallet, ſordetque decoro
 Puluere, & it ſurdus mæſta per ora color.
Viua tamen magni ſpirat reuerentia vultus
 Extincto, ſpirat pectoris ille nitor.
Illa cothurnatæ ſpirat facundia linguæ,
 Integer & ſecto in vertice Morus adeſt.
Aurea quin ſeros virtus durabit in annos,
 Laurea & inuicta morte perennis erit.

# Matthæi Cudneri Angli Clerici Regularis.

## ICON. XVIII.

Non à meo calamo Icon hæc: ſed Cudneri eiuſdem; Viri è noſtro Ordine in pangendo Carmine, ac in reliqua humaniore litteratura ſupra inuidiam magni. Habes excellentis huiuſce muſæ libamentum quoddam: atque vtinam quæ Angla hęc Apis cecinit elegantiſſimè, extarent, aut quæ extant ſparſa huc illuc poematia, coirent, aſpicerentque ſuam lucem; Cognoſceret profectò Lector ab eo latinæ dictionis, faciliſque venæ cultu non defuiſſe æuo huic noſtro citra ſtyli licentiam, ac ſordes Ouidios ſuos. Ab hoc muſarum naufragio tabulam hanc ipſe arripui, in quo deſcripta graphicè Auctoris imago, antequàm Theatinæ Congregationi nomen daret, illamque in hac Pinacotheca noſtra Sacram æternitati volui, ne totus interiret Cudnerus; qui hac de ſe candidiſſima elegia conſignauit.

Olim

OLim Naſonis mærentia carmina legi,
Quæ de ſe patria luce carente canit.
Et mihi, qui pulchre felix tunc eſſe videbar,
Illius è lachrymis mella liquata bibi.
Vt, qui præceſſa ſtans rupe ruentia ſpectat
Inter ſe telis agmina denſa Virûm.
Hic cadit; huic vulnus ſtridet ſpumante cruore;
Hic victor fremit, & quà ruit enſe, micat.
Omnia miſcentur, victo, & vincente furore,
Crebra ferens mortem glans per inane volat.
Nunc æs fulmineo diploſum puluere Cœlum
Terret & ingenti vaſta dat arua globo.
Gaudet Spectator tanto molimine belli,
Dum res geſta ſua ſit ſine parte mali.
Sic ego Naſonis lachrymandi mille figuræ,
Tactus amore ſtyli, dum legerentur, eram
Nil veritus, fato ſimili ne fungerer ipſe,
Neu triſtes gemitus, quos dedit ille, darem.
Eſt factum contra: gemitus, & flebile fatum
Venerunt, & vbi mella fuere, fel eſt.
Sic nihil in rebus certum dominatur, & altam
Fors pellit, minimè cum vereare, rotam.
Naſo, tuis mea mens ſi capta leporibus vnquam,
Vatem te dignum, qui deameris, amat,
Is modò ſit vates, cui mens cita rebus abundet,
Et leni, qua vult carmine, muſa fluat.
Huc ades, & mæſtæ ſolatia necte Thaliæ,
Quæ tibi tàm facilem ſe dedit eſſe Deam;
Sic tibi, Cum ſtygias exercet fuſilis vmbras,
Langueat in pœnas flamma remiſſa tuas.
Sed quid ego vanà deludor imagine rerum?
Quid mihi cum turba, quam ſtygis vrget aqua?

Hue-

Huc ades, Helciada, Solymas miſerate ruinas,
Dum Gens Aſſyrium ferret Hebræa iugum.
Huc etiam plen ô qui numine vincis Homerum,
Rex Vates liquidam pellere docte lyram.
Et mihi qui varijs curarum iactor in vndis,
Quos canitis, mæſtos ſuppeditate modos.
Sic dia ſatiet veſtras dulced ne mentes,
Quem vos aduerſo cernitis ore. Deus.
Qui legis hæc, hominis miſeri miſereſcere diſce,
Qui fleat inde tuam, poſt habiture, vicem.
Legibus æternis ita Sacra volumina cautum
Teſtantur: Quiuis quæ ſerit, illa metet.
Anglia me primo donauit lumine Cæli,
Londini, Thameſis pura quod vnda lauat.
Sol tum quindecies viginti luſtra mearat,
Atque decem, menſes quatuor, atque decem,
Poſt lapſam è Cælo veſtitam carne ſalutem,
Solis & ille dies nomine ſeſtus erat;
Et Domini ſolis; clari quoque Præſulis, olim
Egypto profugus qui mala multa tulit.
Et ſextus nonas Maias: erat hora ſecunda,
Ante ſuos quàm Sol in mare ferret equos.
Fœmina, ſed pluſquam Vir, regia ſceptra gerebat,
Nomine mellifluo dicta Maria fuit.
Illius ante diem Pater vt fore funera credit,
Chriſmate me Sacro roborat ante diem
Namque relapſuros in ſchiſmata cœpta Britannos,
Si raperet ſolium perfidioſa Soror,
Ergo bis decies nocturna fugauerat aſtra:
Sol, mihi cum frontem munijt ille latex.
Septimus, & decimus menſis poſt voluitur, Illa
Interit, heu Patriæ ſola columna meæ.

Hor-

Horrida Tartareis Soror vndique cincta colubris
Regnat, agens miro dira venena dolo.
Et Chriſti, ò ter ſuaue iugum depellere collo
Plebis, dans vitijs arma, decuſque parat.
Et parat, & præſtat, vitio virtute fugata;
Aſt hæc me puerum non tetigere mala.
Dulcibus exceptus genitricis,& altus in vlnis,
Nil traxi niſi quæ præbuit illa mihi.
Sola mihi lac dulce dedit, cum puſio ſerem,
Solaque grandiculo dulcia iura dedit.
Hoc vites; illud factum bene: laudo; memento
Sic iterum: extincta me, mea dicta canes.
Nunc puer es; puerum iocus, & bellaria mulcent;
Mulcent, quæ didicit matre docente, ſenem.
O quicquid ſuperùm colitis Cæleſte cacumen,
Reddite quæ de me tanta meretur anus.
Octo annos natum me lingua latina ſequacem
Ductabat neruis, articuliſque ſuis.
Hic nihil inueni quod me tardaret euntem:
Viſa mihi in latium lata fuiſſe via.
Aſt operis interruptis obeunda, quod acris
Vt mea mens rapitur, ſic citò feſſa labat.
Omnia luſtrabam, modòque luſtranda putarem,
Vt mihi ſub verbis viſque, lepoſque foret.
Mox Græci moles miratus,& æquora ponti,
Illius exiguâ littora naue lego.
Nil auſus procul à certa Demoſthenis vnda,
Aut leni Lyſiæ flumine vela dare.
Fluctibus aſſueſco tandem, pelagique fragori,
Et pauitans eo, quà monſtrat Homerus iter.
Tùm procul aſpiciò quæ ſaxa minantia vicit
Pindarus, haud vlli poſt ſuperanda rati,

De-

Demiror faciles lapſus, luſuſque poetæ.
Quà ſine naufragio nulla carina meat.
Interea retro conuerſa fronte paternam
Feruere Vulcano cerno furente domum.
Mitto leuis Cymbæ ſimulata per æquora ludos,
Me domus inde domum mox ruitura vocat,
Tunc rutila Gallos terrebat forte corona
Carolus, hic illo nomine nonus erat.
Gallis in caput hæreſeon ſpargentia virus
Vortice ſtyx rupto lurida monſtra vomit.
Permeat hæc labes late loca; iamque cruentum
Spiratur paſſim. Rex timet ipſe ſibi.
Diſſimulat tamen,& tacita cum mente volutat,
Quo fugitiua modo ſit reuocanda ſalus.
Edicit, ſed vix dicit, (pugnantia dicat
Dicere me, qui me neſciat eſſe breuem)
Arcanò dicit, certum ſibi tempore certo
Hæreticas tædas anticipare rogis,
Hoc dictum edicti fuit inſtar, in arma repentè
Miles,& in cædes, Regis amore ruit.
Occidit,ante alios ſcelerum caput, eque feneſtra
Triſte, interpreſſa fauce pependit onus.
In reliquos totam noctesque, dieſque per Vrbem
Sæuitum, fatis fata dedere locum.
Quique faces ſe iactarunt in Tartara iacti,
Ex ſe ſe ingentes conſtituere pyras.
Hæc tamen haud ſolos concluſit funere clades,
Seditione truci qui meruere necem.
Vt ſolet incenſum latè glomerare fauillam
Præpete vi uenti per ſata lata nemus.
Trans mare fama volat, Regnum terroribus implet
Anglorum, Gallos iam cecidiſſe Duces.

Hæ-

Hæreſeon cecidiſſe Duces, quibus Anglia freta
  Sperabat, belli tempore, pace frui.
Iamque furit Regina: iubet, capiantur, auita
  Qui ſe teſtentur viuere velle ſide.
Omnia continuò flagrant ferroque, miniſque
  Corripit,& noſtrum concita flamma larem:
Tùm captus didici, quid ſqualor carceris eſſet;
  Aetatis fuerant vix tria luſtra meæ.
Poſt ſextum decimum tandem me libero menſem,
  Corruptis pretio, qui tenuere fores.
Belgica felici profugus peto littora vento;
  Protinus enſe latus munior, ære caput.
Eſſe quidem ſemper cupij Mauortis alumnus,
  Corpore in exiguo cor mihi grande ſtetit.
Sed ludi, Venerisque fugax, tolerare nequibam
  Auribus, aut oculis, quæ fera caſtra parant.
Ad muſas redeo notas, artemque loquendi,
  His exercendis proximus annus abit.
Cogito poſt Romam, geſtis quæ rebus amorem,
  Vimque ciet, ſi cui mens generoſa ſubeſt.
Nec mirum, vis eſt, prorſum ſi Roma legatur,
  Contrà, ſi rurſum, vis tibi fiet amor.
Hic fuit ille annus, Romam cum plurima viſens,
  Supplex cum gemitu ſe pia turba piat.
Inſula Gregorio, quo non auguſtior alter,
  Circumplexa caput ſuſtinet alta crucem.
Aduenio Romam febri correptus inerte,
  Quà mihi quatriduò luditur orbe malum.
Luſtro tamen ſacras, queis poſſum viribus, ædes,
  Implorans Superùm, vix pede nixus, opem.
Hora vna febris diſceſſit, & exijt annus.
  Se ſacra Silueſtro clauſerat ante dies.

Delicias Vrbis anno Colluſtro ſequente,
Miratus veteris molis,& artis opus.
Poſt hæc quos ſoluat nodos Dialectica, diſco,
Vtque aciem mentis per loca cæca regat.
Et quidquid doctis ad nos manauit Athenis,
Quoſque Dei format pagina Sacra typos,
Quidquid,& in terris, quid ſit ſuper ætera, ſcitur:
Quò ſpero hoc animi, carne putrente, vehi.
Illis Germani me annis habuere ſodalem,
Eſt domus in media nobilis Vrbe ſita.
Hic ego quos hominum vidi, coluique lepores?
Queis ego ſum contrà viſus,& ipſe lepos?
Inter nos vt nos dileximus; vt fuit idem
Inter nos animus, lingua, Camœna, Deus?
Soluitur illa cohors, dilabitur; hic petit illam;
Hic illam mundi, me remanente, plagam
Nunc, ò nunc quantum eſt lachrymarum, effundite riuos,
O, oculi, venas rumpite, diffluite;
Quid mihi poſt vitæ fuerit memorate fluendo,
Hic mea, quæ fluxit, inuſa rigore ſtupet.
Pingite vos, niſi vos rigor obſtupefecerit idem,
In facie liquidis, quæ gero mente, notis.

# ICONVM POETICARVM

*Liber Secundus,*

SIVE

## ICONES GENTIVM.

### Itali

### *ICON. I.*

EST, Italis cultus diſpar; non indole viuunt
Vnà, diſcolor eſt frôs,coma,lingua, chlamys.
Aurea cæſaries grauat hunc,hunc nigra;fluitq;
Nobile per collum hæc longior,illa breuis,
Ore color diſpar. Hunc ceu vaccinia fuſcant,
Huic niueas pingunt alba liguſtra genas.
Eſt qui Gallum habitu, ſectoque imitatur amictu,
Sunt & preſſa quibus veſtis Ibera placet,
Quàm varius ſermone Italus: pretioſa diſerto
Lingua ſonat Thuſco; Romulidiſque grauis.
Mollit verba Henetus, mutilat ligur, auget Iapyx,
Campanus laxat, luxat & Inſubria.
Indole ſed grandi eſt Italus, mens ardua,& ingens,
Egregium & magno in pectore robur ineſt.
Stat rerum medio. Ingenium nec mobile Galli,
Nec placet Hiſpani grande ſupercilium.
Immigrat in mores omnes verſatilis olli
Cerea ceu finxit pectora, & ora Deus:

Sic cultum cultu peregrinum imitatur, & ora
Ore refert, animos exprimit atque animo.
Eloquio Graijs par eſt, & diuite lingua,
Certat Aquitanis vi, celerique manu.
Robore Germanos, lentos exæquat Iberos
Conſilio, artifici & pollice Niliacos.
Eſt animo patiens, rabidum ſcit frangere ſydus
Icarium, Arctdum frangere ſcitque Iouem.
Par aulæ, & caſtris; ſole inclareſcit, & vmbra,
Culta domi virtus Itala, clara foris.
Armaturque toga, moderatur ſceptra ſagatus,
Faſcibus eſt fortis, prouidus eſt clypeo.
Dat ventis, & iura mari, luſtratque coruſcum
Mundiuagus puppi remige vtrumque iubar.
Neptunumque docet famula ceruice ſuperbum
Ferre graues toto Gange, Tagoque rates.
Artibus & floret, ſtudijs ardeſcit, & alget;
Ingenium docile eſt vertice, non humeris.
Delicijs rigidè haud parcit, nec mergitur illis,
Ardet, nec durat pectore longa Venus.
Virgineas colit & Muſas, & Apolline Sacro
Feruet Caſtalias Phocidos inter aquas.
Lauro vmbrat vocale aurum; iuuat auſpice Phæbo,
Heroum meritis texere ſerta Comis.
Extera facta Italus celebrat facundus, & ipſe
Incſytus Aonia voce canenda facit.

Sicu.

# Siculi

## *ICON. II.*

LAudator Patriæ Siculus, natalia ſæpe
Aſtra effert, Cælo fixus vbique ſuo.
Ingenio eſt acer, volucris mente, ignea pectus
Imbuit, atque animat vis, calidusque vigor.
Ardeſcit facilis, facilisque relabitur ira,
Nec ſpes ferre valet, nec ſua vota diù.
Olli amor immodicus, ceu Mulciber æſtuat intus,
Pectora cum Paphijs incaluere focis.
At facundus amor, teneroque diſertior ore,
Quasque fouet, loquitur garrula muſa, faces.
Impatiens noxæ, noxam at vix vindicat vltor,
Nec Nemeſis memori in pectore longa furit.
Nec patitur facilis, nec mordet frena rebellis,
Obſequitur, Patriæ at iura verenda tenet.
Scinditur in partes ſtudijs ardentibus ambas
Pronior, & ſiculo turbida quæque placent.
Miſcet, verſat, agit pacata, domique nouari,
Atque foris rerum commoda ſemper auet.
Eſt frugi, cyathis ſiculis nec mèrgitur, Hoſpes
Hoſpitibus Comis; Relligione piùs.
Hi ſiculi vultus animique latentis imago,
Quam finxit Coelum ſydere, lacte Parens.

# Neapolitani
## *ICON. III.*

COeli temperies verni, clementior aer
  Parthenopes ſ, dus nobile, dulce ſolum;
Dant faciles Genti mores, dant pulchra videri
  Corpora, & in laudes pectora prona ſuas.
Par formæ cultus: nulli coma pulchriùs errat,
  Pretior itque habili corpore nulla toga.
Non virtute pares, genioque, aut indole magna,
  Moribus aut ſimiles grandior Orbis habet.
Gloria magnanimes vrit, famæque cupido
  Aeſtuat, egregia & pectore flamma calet.
Alipedes frænare auro ſpumante, manuque
  Flectere, & in volucrem mox animare fugam,
Ludere vibratis armis, & vulnere docto,
  Frangere in aduerſo robora certa ſinu.
Egregiæ hæ Gentis laudes: hinc Spiritus ingens,
  Ardua cum vero prælia Marte calent.
It maior fatis, it grandior hoſte metuque,
  Intrepidum doctus ferre, referre gradum.
Egregius miles, melior Dux, cautus, & acer,
  Ingenio dextra, viribus, arte valet.
Conſilijs & pace valet, cum ſcilicet æuo
  Maturo eſt alius crine, animoque color.
Nanque ætas calido iuueni dum florida vernat,
  Mobilis eſt nimium mens, geniuſque ferox.
Pronior ad capulum manus it, ſubitoque laceſſit
  Igneus ad pugnam Parthenopæus Eques.
At ſtudijs colit ingenium: crinitus Apollo
  Non alibi cythara nobiliore canit.

Mil-

Millenas numeres Muſas; hinc cernitur vndis
Sebethus Modicis currere, pauper aquis.
Nanque phalanx vatum numeroſior ebibit, hauſtu
Siccat & aſſiduo flumina lenta ſuo.
Tandem Gens Vrbana, omnes ſe ſe induit vltrò
In mores, pectus cerea, mente capax.
Et patitur frenos, nec dedignatur habenas,
Faſcibus & Dominis obſequioſa ſuis.
Se nimium, & Patriam iactat. Sed credite, talem
Nulla ſatis Patriam lingua diſerta canit.

# Matthæi Cudneri Angli Clerici Regularis.

## *ICON. XVIII.*

*NOn à meo calamo Icon hæc: ſed Cudneri eiuſdem; Viri è noſtro Ordine in pangendo Carmine, ac in reliqua humaniore litteratura ſupra inuidiam magni. Habes excellentis huiuſce muſæ libamentum quoddam: atque vtinam quæ Angla hęc Apis cecinit elegantiſſimè, extarent, aut quę extant ſparſa huc illuc poematia, coirent, aſpicerentque ſuam lucem; Cognoſceret profectò Lector ab eo latinæ dictionis, faciliſque venæ cultu non defuiſſe æuo huic noſtro citra ſtyli licentiam, ac ſordes Ouidios ſuos. Ab hoc muſarum naufragio tabulam hanc ipſe arripui, in quo deſcripta graphicè Auctoris imago, antequàm Theatinæ Congregationi nomen daret, illamque in hac Pinacotheca noſtra Sacram æternitati volui, ne totus interiret Cudnerus; qui hæc de ſe candidiſſima elegia conſignauit.*

Olim

OLim Naſonis mærentia carmina legi,
Quæ de ſe patria luce carente canit.
Et mihi, qui pulchre felix tunc eſſe videbar,
Illius è lachrymis mella liquata bibi.
Vt, qui præcelſa ſtans rupe ruentia ſpectat
Inter ſe telis agmina denſa Virûm.
Hic cadit; huic vulnus ſtridet ſpumante cruore;
Hic victor fremit, & quà ruit enſe, micat.
Omnia miſcentur, victo, & vincente furore:
Crebra ferens mortem glans per inane volat.
Nunc æs fulmineo diploſum puluere Cœlum
Terret & ingenti vaſta dat arua globo.
Gaudet Spectator tanto molimine belli,
Dum res geſta ſua ſit ſine parte mali.
Sic ego Naſonis lachrymandi mille figuræ,
Tactus amore ſtyli, dum legerentur, eram.
Nil veritus, fato ſimili ne fungerer ipſe,
Neu triſtes gemitus, quós dedit ille, darem.
Eſt factum contra: gemitus, & flebile fatum
Venerunt, & vbi mella fuere, fel eſt.
Sic nihil in rebus certum dominatur, & altam
Fors pellit, minimè cum vereare, rotam.
Naſo, tuis mea mens ſi capta leporibus vnquam,
Vatem te dignum, qui deameris, amat,
Is modò ſit vates, cui mens cita rebus abundet,
Et leni, qua vult carmine, muſa fluat.
Huc ades, & mæſtæ ſolatia necte Thaliæ,
Quæ tibi tàm facilem ſe dedit eſſe Deam;
Sic tibi, Cum ſtygiàs exercet fuſilis vmbras,
Langueat in pœnas flamma remiſſa tuas.
Sed quid ego vanà deludor imagine rerum?
Quid mihi cum turba, quam ſtygis vrget aqua?

Huc-

Huc ades, Helciada, Solymas miſerate ruinas,
Dum Gens Aſſyrium ferret Hebræa iugum.
Huc etiam pſen ô qui numine vincis Homerum,
Rex Vates liquidam pellere docte lyram.
Et mihi qui varijs curarum iactor in vndis,
Quos canitis, mæſtos ſuppeditate modos:
Sic dia ſatiet veſtras dulcedine mentes,
Quem vos aduerſo cernitis ore, Deus.
Qui legis hæc, hominis miſeri miſereſcere diſce,
Qui fleat inde tuam, poſt habiture, vicem.
Legibus æternis ita Sacra volumina cautum
Teſtantur: Quiuis quæ ſerit, illa metet.
Anglia me primo donauit lumine Cæli,
Londini, Thameſis pura quod vnda lauat.
Sol tum quindecies viginti luſtra mearat,
Atque decem, menſes quatuor, atque decem,
Poſt lapſam è Cælo veſtitam carne ſalutem,
Solis & ille dies nomine ſeſtus erat;
Et Domini ſolis, clari quoque Præſulis, olim
Egypto profugus qui mala multa tulit.
Et ſextus nonas Maias: erat hora ſecunda,
Ante ſuos quàm Sol in mare ferret equos.
Fœmina, ſed pluſquam Vir, regia ſceptra gerebat,
Nomine mellifluo dicta Maria fuit,
Illius ante diem Pater vt fore funera credit,
Chriſmate me Sacro roborat ante diem
Namque relapſuros in ſchiſmata cæpta Britannos,
Si raperet ſolium perfidioſa Soror,
Ergo bis decies nocturna fugauerat aſtra:
Sol, mihi cum frontem munijt ille latex.
Septimus, & decimus menſis poſt voluitur, Illa
Interit, heu Patriæ ſola columna meæ.

Hor-

Horrida Tartareis Soror vndique cincta colubris
  Regnat, agens miro dira venena dolo.
Et Chriſti, ò ter ſuaue iugum depellere collo
  Plebis, dans vitijs arma, decuſque parat.
Et parat, & præſtat, vitio virtute fugata;
  Aſt hæc me puerum non tetigere mala.
Dulcibus exceptus genitricis, & altus in vulnis,
  Nil traxi niſi quæ præbuit illa mihi.
Sola mihi lac dulce dedit, cum puſio ſierem,
  Solaque grandiculo dulcia iura dedit.
Hoc vites; illud factum bene: laudo; memento
  Sic iterum: extincta me, mea dicta canes.
Nunc puer es; puerum iocus, & bellaria mulcent:
  Mulcent, quæ didicit matre docente, ſenem.
O quicquid ſuperùm colitis Cæleſte cacumen,
  Reddite quæ de me tanta meretur anus.
Octo annos natum me lingua latina ſequacem
  Ductabat neruis, articuliſque ſuis.
Hic nihil inueni quod me tardaret euntem:
  Viſa mihi in latium lata fuiſſe via.
Aſt operis interruptis obeunda, quod acris
  Vt mea mens rapitur, ſic citò feſſa labat.
Omnia luſtrabam, modòque luſtranda putarem,
  Vt mihi ſub verbis viſque lepoſque foret.
Mox Græci moles miratus, & æquora ponti,
  Illius exiguà littora naue lego.
Nil auſus procul à certa Demoſthenis vnda,
  Aut leni Lyſiæ flumine vela dare.
Fluctibus aſſueſco tandem, pelagique fragori,
  Et pauitans eo, quà monſtrat Homerus iter.
Tùm procul aſpicio quæ ſaxa minantia vicit
  Pindarus, haud vlli poſt ſuperanda rati,

De-

Demiror faciles lapſus, luſuſque poetæ.
  Quà ſine naufragio nulla carina meat.
Interea retro conuerſa fronte paternam
  Feruere Vulcano cerno furente domum.
Mitto leuis Cymbæ ſimulata per æquora ludos,
  Me domus inde domum mox ruitura vocat.
Tunc rutila Gallos terrebat ſorte corona
  Carolus, hic illo nomine nonus erat.
Gallis in caput hæreſeōn ſpargentia virus
  Vortice ſtyx rupto lurida monſtra vomit.
Permeat hæc labes late loca; iamque cruentum
  Spiratur paſſim. Rex timet ipſe ſibi.
Diſſimulat tamen,& tacita cum mente volutat,
  Quo fugitiua modo ſit reuocanda ſalus.
Edicit, ſed vix dicit, (pugnantia dicat
  Dicere me, qui me neſciat eſſe breuem)
Arcanò dicit, certum ſibi tempore certo
  Hæreticas tædas anticipare rogis.
Hoc dictum edicti fuit inſtar, in arma repentè
  Miles,& in cædes, Regis amore ruit.
Occidit,ante alios ſcelerum caput, eque feneſtra
  Triſte, interpreſſa fauce pependit onus.
In reliquos totam noctesque, dieſque per Vrbem
  Sæuitum, fatis fata dedere locum.
Quique faces ſe iactarunt in Tartara iacti,
  Ex ſe ſe ingentes conſtituere pyras.
Hæc tamen haud ſolos concluſit funere clades,
  Seditione truci qui meruere necem.
Vt ſolet incenſum latè glomerare fauillam
  Præpete vi uenti per ſata lata nemus.
Trans mare fama volat, Regnum terroribus implet
  Anglorum, Gallos iam cecidiſſe Duces.

Hæ-

Hæreſeon cecidiſſe Duces, quibus Anglia freta
Sperabat, belli tempore, pace frui.
Iamque furit Regina: iubet, capiantur, auita
Qui ſe teſtentur viuere velle fide.
Omnia continuò flagrant ferroque, miniſque,
Corripit,& noſtrum concita flamma larem.
Tùm captus didici, quid ſqualor carceris eſſet;
Aetatis fuerant vix tria luſtra meæ.
Poſt ſextum decimum tandem me libero menſem,
Corruptis pretio, qui tenuere fores.
Belgica felici profugus peto littora vento;
Protinus enſe latus munior, ære caput,
Eſſe quidem ſemper cupij Mauortis alumnus,
Corpore in exiguo cor mihi grande ſtetit.
Sed ludi, Veneriſque fugax, tolerare nequibam
Auribus, aut oculis, quæ fera caſtra parant.
Ad muſas redeo notas, artemque loquendi,
His exercendis proximus annus abit.
Cogito poſt Romam, geſtis quæ rebus amorem,
Vimque ciet, ſi cui mens generoſa ſubeſt.
Nec mirum, vis eſt, prorſum ſi Roma legatur,
Contrà; ſi rurſum, vis tibi fiet amor.
Hic fuit ille annus, Romam cum plurima viſens,
Supplex cum gemitu ſe pia turba piat.
Inſula Gregorio, quo non auguſtior alter,
Circumplexa caput ſuſtinet alta crucem.
Aduenio Romam febri correptus inerte,
Quà mihi quatriduù luditur orbe malum.
Luſtro tamen ſacras, queis poſſum viribus, ædes,
Implorans Superùm, vix pede nixus, opem.
Hora vna febris diſceſſit,& exijt annus.
Se ſacra Silueſtro clauſerat ante dies.

Delicias Vrbis anno Colluſtro ſequente,
Miratus veteris molis,& artis opus.
Poſt hæc quos ſoluat nodos Dialectica, diſco,
Vtque aciem mentis per loca cæca regat.
Et quidquid doctis ad nos manauit Athenis,
Quoſque Dei format pagina Sacra typos.
Quidquid,& in terris, quid ſit ſuper æthera, ſcitur:
Quò ſpero hoc animi, carne putrente, vehi.
Illis Germani me annis habuere ſodalem,
Eſt domus in media nobilis Vrbe ſita.
Hic ego quos hominum vidi, coluique lepores?
Queis ego ſum contrà viſus,& ipſe lepos?
Inter nos vt nos dileximus; vt fuit idem
Inter nos animus, lingua, Camœna, Deus?
Soluitur illa cohors, dilabitur; hic petit illam;
Hic illam mundi, me remanente, plagam
Nunc, ò nunc quantum eſt lachrymarum,effundite riuos,
O, oculi, venas rumpite, diffluite.
Quid mihi poſt vitæ fuerit memorate fluendo,
Hic mea, quæ fluxit, inuſa rigore ſtupet.
Pingite vos, niſi vos rigor obſtupefecerit idem,
In facie liquidis, quæ gero mente, notis.

ICO-

# ICONVM POETICARVM

*Liber Secundus,*

SIVE

## ICONES GENTIVM.

### Itali

### ICON. I.

EST Italis cultus diſpar; non indole viuunt
Vna, diſcolor eſt frōs, coma, lingua, chlamys.
Aurea cæſaries grauat hunc, hunc nigra; fluitq;
Nobile per collum hæc longior, illa breuis.
Ore color diſpar. Hunc ceu vaccinia fuſcant,
Huic niueas pingunt alba liguſtra genas.
Eſt qui Gallum habitu, ſectoque imitatur amictu,
Sunt & preſſa quibus veſtis Ibera placet,
Quàm varius ſermone Italus: pretioſa diſerto
Lingua ſonat Thuſco; Romulidiſque grauis.
Mollit verba Henetus, mutilat ligur, auget Iapyx,
Campanus laxat, luxat & Inſubria.
Indole ſed grandi eſt Italus, mens ardua, & ingens,
Egregium & magno in pectore robur ineſt.
Stat rerum medio. Ingenium nec mobile Galli,
Nec placet Hiſpani grande ſupercilium.
Immigrat in mores omnes verſatilis olli
Cerea ceu finxit pectora, & ora Deus:

# Neapolitani ICON. III.

COeli temperies verni, clementior aer
Parthenopes ſedus nobile, dulce ſolum;
Dant faciles Genti mores, dant pulchra videri
Corpora,& in laudes pectora prona ſuas.
Par formæ cultus: nulli coma pulchriùs errat,
Premor itque habili corpore nulla toga.
Non virtute pares, genioque, aut indole magna,
Moribus aut ſimiles grandior Orbis habet.
Gloria magnanimes vrit, famæque cupido
Aeſtuat, egregia & pectore flamma calet.
Alipedes frænare auro ſpumante, manuque
Flectere,& in volucrem mox animare fugam,
Ludere vibratis armis,& vulnere docto,
Frangere in aduerſo robora certa ſinu.
Egregiæ hæ Gentis laudes: hinc Spiritus ingens,
Ardua cum vero prælia Marte calent.
It maior fatis, it grandior hoſte metuque,
Intrepidum doctus ferre, referre gradum.
Egregius miles, melior Dux, cautus,& acer.
Ingenio dextra, viribus, arte valet.
Conſilijs & pace valet, cum ſcilicet æuo
Maturo eſt alius crine, animoque color.
Nanque ætas calido iuueni dum florida vernat,
Mobilis eſt nimium mens, geniuſque ferox.
Pronior ad capulum manus it, ſubitoque laceſſit
Igneus ad pugnam Parthenopæus Eques.
At ſtudijs colit ingenium: crinitus Apollo
Non alibi cythara nobiliore canit.

Millenas numeres Muſas; hinc cernitur vndis
Sebethus Modicis currere, pauper aquis.
Nanque phalanx vatum numeroſior ebibit, hauſtu
Siccat & aſſiduo flumina lenta ſuo.
Tandem Gens Vrbana, omnes ſe ſe induit vltrò
In mores, pectus cerea, mente capax.
Et patitur frenos, nec dedignatur habenas,
Faſcibus & Dominis obſequioſa ſuis.
Se nimium, & Patriam iactat. Sed credite, talem
Nulla ſatis Patriam lingua diſerta canit.

Egregias bellandi artes, & dictata Magiſtri
Certa Siracuſij: metiri protinus Vrbes,
Terrarumque ſitus, atque interualla locorum
Sciuerat; hoſtiles quis proruat impetus arces?
Et quæ fulmineæ tuteſtur mænia pinnæ?
Quo ſint Caſtra loco figenda? & quo cingere vallo
Ars iubeat? bellatrices quæ forma phalanges
Explicet? au ſpecies præſtet lunata quadratæ?
Triuerat & doctus monumenta volubilis æui,
Argolici ſolitus faſtos, latijque Gradiui.
Voluere, & horriſonis percurrere ſecula bellis
Aſpera. Magnorum hinc Capitum facta inclyta, & artes
Nouerat egregias, & prælia fuſa per Orbem.
Quis vigor Aeacidæ? Tydidæ aut ignea virtus?
Quis Laertiades vi mentis, & arte Pelaſga?
Quantus Alexander? Patris quo pectore, pulchrè
Inuidus, excepit lachryma manante triumphos?
Nouerat & Cannas, Trebiamque. & fulmine Pæno
Attonitum latium, pulchras & ſciuerat artes
Scipiadum, Curijque & pectora magna Camilli.
Arſit & hinc Iuueni virtus: vix pube decora
Purpureus primò vultus floreſcit in auro,
Cum teneris patriæ vulſus Sirenis ab vlnis,
Inſilit in rigidam criſtata fronte palæſtram.
Primus anhelantem rutilo videt Inſubet enſe
Cantelmum, & citra pubem miratur adultam
Bellonam, grandi maturam & Marte iuuentam.
Sic forti valet ille manu, ſic prouidus acri
Conſilio, primis par Caſſibus inclytus Heros.
Nec mora belligero mutantur Sceptra, Capeſſit
Grandia Dux maior, moderatur & agmina nutu,
Hinc Rhætos terret validis, & Theutonas armis,
Inde

Inde aperit virtus illi ſpatioſa theatrum
Latius ardentém & bello vocat area maior.
Scilicet Hiſpanus quà Iuppiter attonat Arcton,
Magnarum & ſpolijs animarum turbidus Albis
Intumet, aurata iuſſus volat igneus haſta.
Hic belli non fictus agon, hic gymnade cruda
Exercet Bellona ſuos, hic Regia Martis
Biſtonij, hic lemnos vaſtis incudibus ardet,
Et chalybes, dextraque animos hic cudit ahenos
Mulciber artifici. Feruet mora nulla ſub Axe
Cantelmus gelida. Quis venerit Italus enſis,
Quis nouus Arctoam Arminius diuerberet Vrſam,
Belgicus haud vna cognouit clade rebellis.
Aequa animæ magnæ Martis data munera: tanto
Sub Duce flos Italum, & longæuus militat enſis.
Sic iubet illa potens Belgi, generoſior illa
Bellatrix, Soboles magni trabeata Philippi,
Magnanimis Heroina auſis, & nomine Clara:
Nempè Ducem, volucremque Ducis vim nouerat, acrem
Et mentem, certis & euntia tela lacertis.
Iam, quæ fama ſuo vocali prædicet auro
Cantelmum? ſinuoſa vndis non Moſa diſertis,
Non ſi milleno ſcaldis commurmuret ore,
Egregias libet laudes, & fortia facta.
Nunc frænare manu Batauos, nunc cernitur arte
Ludere, ſecuros inopina & fallere clade.
Inſilit aduerſas arces, atque ardua pinnis
Stare iubet ſigna, intexto fluitantia Rege.
Munit Vulcano, quà propugnacula ſurgunt,
Igniuomo, & circumfuſo, quà mænia currunt,
Munit Neptuno: hinc gemino ſtant Numine tuta
Oppida, propugnatque hic vnda, ille igne tonante.

Egregias bellandi artes, & dictata Magiſtri
Certa Siracuſijs metiri protinus Vrbes,
Terrarumque ſitus, atque interualla locorum
Sciuerat; hoſtiles quis proruat impetus arces?
Et quæ fulmineæ tutentur mænia pinnæ?
Quo ſint Caſtra loco figenda? & quo cingere vallo
Ars iubeat? bellatrices quæ forma phalanges
Explicet? au ſpecies præſtet lunata quadratæ?
Triuerat & doctus monumenta volubilis æui,
Argolici ſolitus faſtos, latijque Gradiui
Voluere, & horriſonis percurrere ſecula bellis
Aſpera. Magnorum hinc Capitum facta inclyta, & artes
Nouerat egregias, & prælia fuſa per Orbem.
Quis vigor Aeacidæ? Tydidæ aut ignea virtus?
Quis Laertiades vi mentis, & arte Pelaſga?
Quantus Alexander? Patris quo pectore, pulchrè
Inuidus, excepit lachryma manante triumphos?
Nouerat & Cannas, Trebiamque. & fulmine Pœno
Attonitum latium, pulchras & ſciuerat artes
Scipiadum, Curijque & pectora magna Camilli.
Arſit & hinc Iuueni virtus: vix pube decora
Purpureus primo vultus floreſcit in auro,
Cum teneris patriæ vulſus Sirenis ab vlnis,
Inſilit in rigidam criſtata fronte palæſtram.
Primus anhelantem rutilo videt Inſuber enſe
Cantelmum, & citra pubem miratur adultam
Bellonam, grandi maturam & Marte iuuentam.
Sic forti valet ille manu, ſic prouidus acri
Conſilio, primis par Caſſibus inclytus Heros.
Nec mora belligero mutantur Sceptra, Capeſſit
Grandia Dux maior, moderatur & agmina nutu,
Hinc Rhætos terret validis, & Theutonas armis,

Inde

Inde aperit virtus illi ſpatioſa theatrum
Latius ardentem & bello vocat area maior.
Scilicet Hiſpanus quà Iuppiter attonat Arcton,
Magnarum & ſpolijs animarum turbidus Albis
Intumet, aurata iuſſus volat igneus haſta.
Hic belli non fictus agon, hic gymnade cruda
Exercet Bellona ſuos, hic Regia Martis
Biſtonij, hic lemnos vaſtis incudibus ardet,
Et chalybes, dextraque animos hic cudit ahenos
Mulciber artifici. Feruet mora nulla ſub Axe
Cantelmus gelida. Quis venerit Italus enſis,
Quis nouus Arctoam Arminius diuerberet Vrſam,
Belgicus haud vna cognouit clade rebellis.
Aequa animæ magnæ Martis data munera: tanto
Sub Duce flos Italum, & longæuus militat enſis.
Sic iubet illa potens Belgi, generoſior illa
Bellatrix, Soboles magni trabeata Philippi,
Magnanimis Heroina auſis, & nomine Clara:
Nempè Ducem, volucremque Ducis vim nouerat, acrem
Et mentem, certis & euntia tela lacertis.
Iam, quæ fama ſuo vocali prædicet auro
Cantelmum? ſinuoſa vndis non Moſa diſertis,
Non ſi milleno ſcaldis commurmuret ore,
Egregias libet laudes, & fortia facta.
Nunc frænare manu Batauos, nunc cernitur arte
Ludere, ſecuros inopina & fallere clade.
Inſilit aduerſas arces, atque ardua pinnis
Stare iubet ſigna, intexto fluitantia Rege.
Munit Vulcano, quà propugnacula ſurgunt,
Igniuomo, & circumfuſo, quà mænia currunt,
Munit Neptuno: hinc gemino ſtant Numine tuta
Oppida, propugnatque hic vnda, ille igne tonante.

Nil citius, ſi incauta mora eſt; nil cautius illo,
Si mora lenta iuuat; nunc impiger ardet,
Nunc ſedet impauidus, cunctando & reſtituit rem
Teſtis Belgarum fulmen Naſſauius, acri
Sæpe laceſſitus Cantelmo, & ſæpe fugatus.
Teſtes ſequanici Martes, quos ille iubatus
Gallorum metus, & trabeatus colla ſuperba,
Cantelmus Leo, mutata vice, terruit ardens.
Sed iam læta ſuos celebrat Norlinga triumphos,
Et Ferdinando demeſſas auſpice palmas.
Quantus in obſtantes ardet ſe ferre phalanges
Cantelmus, ſublimis equo? quis fortius vrget?
Ipſe ne cornipedem ſtimulo mordente volucrem?
Ipſius an ſtrenuum virtus pulcherrima pectus?
Aureus it galeam, rutilumque it ferreus enſem,
Pungit, agit dictis, facundus voce, manuque
Impiger eſtque ſimul Dux cautus, miles & acer.
Tu, cui regifico latialis Purpura cultu
Splendet, progenies Regum, Tu magne, triumphas
Auſtriace, auratos vmbrat tibi pulchra capillos
Laurus: nec parcis generoſus laudibus æquis:
Cumque tuos decoras dictis, facundius enſem
Cantelmum laudas, bellantem Marte ſecundo.
Illius hinc late creſcit fama incl. ta, & ingens
Creſcit honos, merito dantur noua munera. Belga
Iuppiter en ſummo regit æra tonantia iure:
Tum ſupremus apex belli, Arctoique Gradiui
Legifer, armorum Imperium, faſceſque capeſſit,
Iura dat & magnis Ducibus, celſaque ferocis
Mole ſupercilij Mauortia bella miniſtrat.
Hinc te, preſſa fero Catalaunia milite, ſupplex
Euocat: Oceanum transmittis, fulmine torto

Ocyor

Ocyor, aut Euro, Et Caſtore ſubdite telis.
Auſtriaci columen ſceptri, magnique Philippi
Spes ingens, momentum belli, & dextera vindex
Aduenis: exanimes animos vt tollis? vt arma
Exacuis? dubij vt mutatur & alea Martis?
Hinc admota tuis fax pulchra, hinc territus hoſtis,
Gentilis tepet huic ardor, fit & acrior illis.
Fortunam tecum ipſe venis, fortunaque virtus
Eſt tua, quam non crine tenes flauente, ſed hauſtam
Pectore magnanimo, totis complecteris vlnis.
At dum bella æquas palmis, immobile fatum
Te petit inſidijs: nam quis te vincat aperto
Marte, Ducum terror, Cantelme, potentum?
It ſecreta lues venis, & mox aurea rupit
Stamina, quæ nullus diſcidit Noricus enſis.
Morte ſed abſoluis pulchrè ſtipendia Martis,
Nam penè in media generoſe occumbis arena,
Et ſtricto mucrone cadis, quo proteris æuum,
Et mortem exanimis virtute ſuperſtite vincis.

# Thomæ Mori, Magni Angliæ Cancellarij

## ICON XVII.

CAndidior niueo currat facundia lacte,
Exprimat vt Mori concolor ora labor.
Ingenio Candor, calamoque, & diuite lingua
Candor erat, puro & pectore cana fides.
Anglia dat puerum cunis, Sapientia fouit
Prima ſinu, preſſit nectar & alma charis.
At Mori quid parua refers cunabula? quando
Ingentem vidit cuna vel ipſa virum?
Non capit egregios animos anguſtior ætas;
Olli Cæſaries aurea, cura ſenex.
Vix roſeo vultus Iuueni pubeſcit, & ingens
Omnigena imbutum Pallade pectus erat.
Spargitur in latium, loquiturque diſertior ore
Cecropio, atque eadem lingua bilinguis erat.
Libera ſeu numeris innectat verba ſolutis,
Seu iuuat emenſos arte ligare pedes,
Aequa lance ſibi certat, pugnatque ter amplo
Ingenium ingenio, os ore, lepore lepor.
Flexanimis Pitho eſt, flos ſuadæ, Apis Attica, Siren
Anglica, cum fandi copia ab ore fluit.
Cumque leuem Collo Cytharam ſuſpendit eburno,
Pectit & auratæ fila canora lyræ,
Facundo tenet auritas modulamine muſas,
Vincit & Aſcræi plectra Britannus olor.
Tam faciles canit ille ſales, grandiſque cothurnus
Tam diro reſonat pectine fata Ducum.

Grandior & Phæbus, Pallaſque ſeuerior ardens
Ingenium muſa nobiliore beat.
Phocide nam maior, ſacroque Helicone, Lycæum
Immigrat, & vigili Porticus amplà placet;
Quæ Zeno, quæ docuit Samius, quæ docta Stagiris,
Quæque Siracuſius lucrubat arte Senex,
Pectore cuncta tenet memori, monumentaque voluit
Priſca manu, doctà & fronte rigatà terit.
Ingenio mundum librat, verſatque volucri,
Vi mentis, rerum & ſemina nulla latent.
Quas habeant elementa vices? qui fulguret æter?
Qui tonet? & pluuijs nubibus imber eat?
Quis regat aſtrorum choreas? quæ prona rotatu
Sydera præcipiti torquet anhela manus?
Metiturque breuis ſpatioſa volumina Cœli
Circinus, & rapidas temperat arte rotas.
Aetere nec ſiſtit mens penſilis. Vtile dulci
Miſcet, iucundis ardua, pulchra bonis.
Virtuti pretium ſtatuit, diſcitque, docetque,
Inclyta quæ recti præmia, quodue decus?
Qui genio injicias ſpumantia fræna? quid iram,
Frangat? & alternis quæ medicina malis?
Tum ſceptra informat Regum gemmata, notatque,
Qui teneant lentà regia lora manu?
Regnet amor? regnetne timor? quæ dira Tyrannis?
Vt rutilet pulchra relligione chlamys?
Artibus his ſtudium populi, Regumque meretur,
Deliciæ Thameſis, Morus, & Orbis amor.
Hinc facili vehitur pennà, qua firmate clarus
Attalico, largus præmia ſpondet honor.
Prælucet virtus ardens, fama inclyta eunti
Sternit iter, meritum hinc fulcit, & inde fauor.

It lateri fortuna Comes, nitidoſque curules
Expedit, & trabeas diuite pingit acu:
Auratus ſignatur Eques vir aureus. Aulæ
Mox vigilat grandi mente, regitque togæ.
Impiger & primis iam faſcibus inuolat, vnus
Cuncta ſupercilio Regna Britanna regit
Ille ſecundus Apex Regnorum, & proxima ceruix,
Fulgida Rex quaſſat ſceptra, ſed ille regit.
Regem amat, obſequitur Moro plebs Anglica, & altum
Regem ornant, Morum gemmea ſerta grauant.
Nec lato inflatur clauo, tituliſque ſuperbis,
Aurea non Mori pectora mutat honos.
Sed tenor, & limes recti, & librata cupido
Diſpenſant iuſtà fræna decora manu.
Maieſtas facili ſtat fronte; venuſtus, & acer
Eſtque graui bonitas mixta ſupercilio.
Prima calet pietas ingenti at pectore, primus
Pungit Romulei iuris, & vrit amor.
Infractuſque Sacri tutatur ſceptra Quirini,
Arx Arcis latiæ, lux, fideique Pharos?
Nec faſces, Henrice, tuos, vultuſque minaces,
Dura nec exerta cuſpide fata timet.
Cernis, vt inceſtos inflexa fronte hymenæos,
Impauido & turpes increpet ore faces?
Cernis, vt obiectet caput impenetrabile ferro,
Chriſtiadum intacto vt vertice reſtet Apex?
Dat ſcindi intrepidus colla inclyta ab enſe Britanno,
Ne ſit Romulidum ſciſſa latina fides.
Sacra illibatis vtque hoſtia purpuret aris,
Purpurat ille ſua morte, litatque fide.
Aſpice nunc indigna tui monumenta furoris,
Henrice, & tanto à funere plaude tibi.

I, Regni lictor, Phalariſque, en vulnere ab vno
  Anglia communi vulnere tota perit.
I, iam par atris gradeſis, cum nobile ſydus
  Occidit, & prono tramite ab Axe ruit.
Sed iam frontis honor pallet, ſordetque decoro
  Puluere, & it ſurdus mæſta per ora color.
Viua tamen magni ſpirat reuerentia vultus
  Extincto, ſpirat pectoris ille nitor.
Illa cothurnatæ ſpirat facundia linguæ,
  Integer & ſecto in vertice Morus adeſt.
Aurea quin ſeros virtus durabit in annos,
  Laurea & inuita morte perennis erit.

# Matthæi Cudneri Angli Clerici Regularis.

## *ICON. XVIII.*

*NOn à meo calamo Icon hæc: ſed Cudneri eiuſdem; Viri è noſtro Ordine in pangendo Carmine, ac in reliqua humaniore litteratura ſupra inuidiam magni. Habes excellentis huiuſce muſæ libamentum quoddam: atque vtinam quæ Angla hęc Apis cecinit elegantiſſimè, extarent, aut quæ extant ſparſa huc illuc poematia, coirent, aſpicerentque ſuam lucem; Cognoſceret profectò Lector ab eo latinæ dictionis, facilisque venæ cultu non defuiſſe æuo huic noſtro citra ſtyli licentiam, ac ſordes Ouidios ſuos. Ab hoc muſarum naufragio tabulam hanc ipſe arripui, in quo deſcripta graphicè Auctoris imago, antequàm Theatinæ Congregationi nomen daret, illamque in hac Pinacotheca noſtra Sacram æternitati volui, ne totus interiret Cudnerus; qui hæc de ſe candidiſſima elegia conſignauit.*

Olim

OLim Naſonis mærentia carmina legi,
Quæ de ſe patria luce carente canit.
Et mihi, qui pulchrè felix tunc eſſe videbar,
Illius è lachrymis mella liquata bibi.
Vt, qui præcelſa ſtans rupe ruentia ſpectat
Inter ſe telis agmina denſa Virûm.
Hic cadit; huic vulnus ſtridet ſpumante cruore;
Hic victor fremit, & quà ruit enſe, micat.
Omnia miſcentur, victo, & vincente furore,
Crebra ferens mortem glans per inane volat.
Nunc æs fulmineo diploſum puluere Cœlum
Terret & ingenti vaſta dat arua globo.
Gaudet Spectator tanto molimine belli,
Dum res geſta ſua ſit ſine parte mali.
Sic ego Naſonis lachrymandi mille figuræ,
Tactus amore ſtyli, dum legerentur, eram
Nil veritus, fato ſimili ne fungerer ipſe,
Neu triſtes gemitus, quos dedit ille, darem.
Eſt factum contra: gemitus, & flebile fatum
Venerunt, & vbi mella fuere, fel eſt.
Sic nihil in rebus certum dominatur, & altam
Fors pellit, minimè cum vereare, rotam.
Naſo, tuis mea mens ſi capta leporibus vnquam,
Vatem te dignum, qui deameris, amat,
Is modò ſit vates, cui mens cita rebus abundet,
Et leni, qua vult carmine, muſa fluat.
Huc ades, & mæſtæ ſolatia necte Thaliæ,
Quæ tibi tàm facilem ſe dedit eſſe Deam;
Sic tibi, Cum ſtygias exercet fuſilis vmbras,
Langueat in pœnas flamma remiſſa tuas.
Sed quid ego vanà deludor imagine rerum?
Quid mihi cum turba, quam ſtygis vrget aqua?

Huc-

Huc ades, Helciada, Solymas miſerate ruinas,
  Dum Gens Aſſyrium ferret Hebræa iugum.
Huc etiam plen o qui numine vincis Homerum,
  Rex Vates liquidam pellere docte lyram.
Et mihi qui varijs curarum iactor in vndis,
  Quos canitis, mæſtos ſuppeditate modos:
Sic dia ſatiet veſtras dulcedine mentes,
  Quem vos aduerſo cernitis ore, Deus.
Qui legis hæc, hominis miſeri miſereſcere diſce,
  Qui fleat inde tuam, poſt habiture, vicem.
Legibus æternis ita Sacra volumina cautum
  Teſtantur: Quiuis quæ ſerit, illa metet.
Anglia me primo donauit lumine Cæli,
  Londini, Thameſis pura quod vnda lauat.
Sol tum quindecies viginti luſtra mearat,
  Atque decem, menſes quatuor, atque decem,
Poſt lapſam è Cælo veſtitam carne ſalutem,
  Solis & ille dies nomine ſeſtus erat;
Et Domini ſolis; clari quoque Præſulis, olim
  Egypto profugus qui mala multa tulit.
Et ſextus nonas Maias: erat hora ſecunda,
  Ante ſuos quàm Sol in mare ferret equos.
Fœmina, ſed pluſquam Vir, regia ſceptra gerebat,
  Nomine mellifluo dicta Maria fuit,
Illius ante diem Pater vt fore funera credit,
  Chriſmate me Sacro roborat ante diem.
Namque relapſuros in ſchiſmata cæpta Britannos,
  Si raperet ſolium perfidioſa Soror,
Ergo bis decies nocturna fugauerat aſtra
  Sol, mihi cum frontem muniјt ille latex.
Septimus, & decimus menſis poſt voluitur, Illa
  Interit, heu Patriæ ſola columna meæ.

Hor-

Horrida Tartareis Soror vndique cincta colubris
  Regnat, agens miro dira venena dolo.
Et Chriſti, ò ter ſuaue iugum depellere collo
  Plebis, dans vitijs arma, decuſque parat.
Et parat, & præſtat, vitio virtute fugata;
  Aſt hæc me puerum non tetigere mala.
Dulcibus exceptus genitricis, & altus in vlnis,
  Nil traxi niſi quæ præbuit illa mihi.
Sola mihi lac dulce dedit, cum puſio ẞerem,
  Solaque grandiculo dulcia iura dedit.
Hoc vites; illud factum bene: laudo; memento
  Sic iterum: extincta me, mea dicta canes.
Nunc puer es; puerum iocus, & bellaria mulcent:
  Mulcent, quæ didicit matre docente, ſenem.
O quicquid ſuperûm colitis Cæleſte cacumen,
  Reddite quæ de me tanta meretur anus.
Octo annos natum me lingua latina ſequacem
  Ductabat neruis, articuliſque ſuis.
Hic nihil inueni quod me tardaret euntem:
  Viſa mihi in latium lata fuiſſe via.
Aſt operis interruptis obeunda, quod acris
  Vt mea mens rapitur, ſic citò feſſa labat.
Omnia luſtrabam, modòque luſtranda putarem,
  Vt mihi ſub verbis viſque lepoſque foret.
Mox Græci moles miratus, & æquora ponti,
  Illius exiguà littora naue lego.
Nil auſus procul à certa Demoſthenis vnda,
  Aut leni Lyſiæ flumine vela dare.
Fluctibus aſſueſco tandem, pelagique fragori,
  Et pauitans eo, quà monſtrat Homerus iter.
Tùm procul aſpicio quæ ſaxa minantia vicit
  Pindarus, haud vlli poſt ſuperanda rati.

De-

Demiror faciles lapſus, luſuſque poetæ.
Quà ſine naufragio nulla carina meat.
Interea retro conuerſa fronte paternam
Feruere Vulcano cerno furente domum.
Mitto leuis Cymbæ ſimulata per æquora ludos,
Me domus inde domum mox ruitura vocat,
Tunc rutila Gallos terrebat forte corona
Carolus, hic illo nomine nonus erat.
Gallis in caput hæreſon ſpargentia virus
Vortice ſtyx rupto lurida monſtra vomit.
Permeat hæc labes latè loca; iamque cruentum
Spiratur paſſim. Rex timet ipſe ſibi.
Diſſimulat tamen,& tacita cum mente volutat,
Quo fugitiua modo ſit reuocanda ſalus.
Edicit, ſed vix dicit, (pugnantia dicat
Dicere me, qui me neſciat eſſe breuem)
Arcanò dicit, certum ſibi tempore certo
Hæreticas tædas anticipare rogis,
Hoc dictum edicti fuit inſtar, in arma repentè
Miles,& in cædes, Regis amore ruit.
Occidit ante alios ſcelerum caput, eque feneſtra
Triſte, interpreſſa fauce pependit onus.
In reliquos totam noctesque, dieſque per Vrbem
Sæuitum, fatis fata dedere locum.
Quique faces ſe iactarunt in Tartara iacti,
Ex ſe ſe ingentes conſtituere pyras.
Hæc tamen haud ſolos concluſit funere clades,
Seditione truci qui meruere necem.
Vt ſolet incenſum latè glomerare fauillam
Præpete vi uenti per ſata lata nemus.
Trans mare fama volat, Regnum terroribus implet
Anglorum, Gallos iam cecidiſſe Duces.

Hæ-

Hæreſeon cecidiſſe Duces, quibus Anglia freta
Sperabat, belli tempore, pace frui.
Iamque furit Regina: iubet, capiantur, auita
Qui ſe teſtentur viuere velle fide.
Omnia continuò flagrant ferroque, miniſque
Corripit, & noſtrum concita flamma larem;
Tùm captus didici, quid ſqualor carceris eſſet;
Aetatis fuerant vix tria luſtra meæ.
Poſt ſextum decimum tandem me libero menſem,
Corruptis pretio, qui tenuere fores.
Belgica felici profugus peto littora vento;
Protinus enſe latus munior, ære caput.
Eſſe quidem ſemper cupij Mauortis alumnus,
Corpore in exiguo cor mihi grande ſtetit.
Sed ludi, Veneriſque fugax, tolerare nequibam
Auribus, aut oculis, quæ fera caſtra parant.
Ad muſas redeo notas, artemque loquendis
His exercendis proximus annus abit.
Cogito poſt Romam, geſtis quæ rebus amorem,
Vimque ciet, ſi cui mens generoſa ſubeſt.
Nec mirum, vis eſt, prorſum ſi Roma legatur;
Contrà, ſi rurſum, vis tibi fiet amor.
Hic fuit ille annus, Romam cum plurima viſens,
Supplex cum gemitu ſe pia turba piat.
Infula Gregorio, quo non auguſtior alter,
Circumplexa caput ſuſtinet alta crucem.
Aduenio Romam febri correptus inerte,
Quà mihi quatriduò luditur orbe malum.
Luſtro tamen ſacras, queis poſſum viribus, ædes,
Implorans Superùm, vix pede nixus, opem.
Hora vna febris diſceſſit, & exijt annus.
Se ſacra Silueſtro clauſerat ante dies.

Delicias Vrbis anno Colluſtrò ſequente,
Miratus veteris molis,& artis opus.
Poſt hæc quos ſoluat nodos Dialectica, diſco,
Vtque aciem mentis per loca cæca regat.
Et quidquid doctis ad nos manauit Athenis,
Quoſque Dei format pagina Sacra typos.
Quidquid,& in terris, quid ſit ſuper ætera, ſcitur:
Quò ſpero hoc animi, carne putrente, vehi.
Illis Germani me annis habuere ſodalem,
Eſt domus in media nobilis Vrbe ſita.
Hic ego quos hominum vidi, coluique lepores?
Queis ego ſum contrà viſus,& ipſe lepos?
Inter nos vt nos dileximus; vt fuit idem
Inter nos animus, lingua, Camœna, Deus?
Soluitur illa cohors, dilabitur; hic petit illam;
Hic illam mundi, me remanente, plagam
Nunc, ò nunc quantum eſt lachrymarum,effundite riuos,
O, oculi, venas rumpite, diffluite.
Quid mihi poſt vitæ fuerit memorate fluendo,
Hic mea, quæ fluxit, muſa rigore ſtupet.
Pingite vos, niſi vos rigor obſtupefecerit idem,
In facie liquidis, quæ gero mente, notis.

# ICONVM POETICARVM

*Liber Secundus*,

SIVE

## ICONES GENTIVM.

### Itali

### ICON. I.

EST Italis cultus diſpar; non indole viuunt
Vnà, diſcolor eſt frós,coma,lingua, chlamys.
Aurea cæſaries grauat hunc,hunc nigra;fluitq;
Nobile per collum hæc longior,illa breuis.
Ore color diſpar. Hunc ceu vaccinia fuſcant,
Huic niueas pingunt alba liguſtra genas.
Eſt qui Gallum habitu, ſectoque imitatur amictu,
Sunt & preſſa quibus veſtis Ibera placet,
Quàm varius ſermone Italus: pretioſa diſerto
Lingua ſonat Thuſco; Romulidiſque grauis.
Mollit verba Henetus, mutilat ligur, auget Iapyx,
Campanus laxat, luxat & Inſubria.
Indole ſed grandi eſt Italus, mens ardua,& ingens,
Egregium & magno in pectore robur ineſt.
Stat rerum medio. Ingenium nec mobile Galli,
Nec placet Hiſpani grande ſupercilium.
Immigrat in mores omnes verſatiliſ olli
Cerea ceu finxit pectora, & ora Deus:

Sic cultum cultu peregrinum imitatur, & ora
  Ore refert, animos exprimit atque animo.
Eloquio Graijs par eſt,& diuite lingua,
  Certat Aquitanis vi, celerique manu.
Robore Germanos, lentos exæquat Iberos
  Conſilio, artifici & pollice Niliacos.
Eſt animo patiens, rabidum ſcit frangere ſydus
  Icarium, Arctdum frangere ſcitque Iouem.
Par aulæ,& caſtris; ſole inclareſcit, & vmbra,
  Culta domi virtus Itala, clara foris.
Armaturque toga, moderatur ſceptra ſagatus,
  Faſcibus eſt fortis, prouidus eſt clypeo.
Dat ventis,& iura mari, luſtratque coruſcum
  Mundiuagus puppi remige vtrumque iubar.
Neptunumque docet famula ceruice ſuperbum
  Ferre graues toto Gange, Tagoque rates.
Artibus & floret; ſtudijs ardeſcit,& alget;
  Ingenium docile eſt vertice, non humeris.
Delicijs rigidè haud parcit, nec mergitur illis,
  Ardet, nec durat pectore longa Venus.
Virgineas colit & Muſas,& Apolline Sacro
  Feruet Caſtalias Phocidos inter aquas.
Lauro vmbrat vocale aurum; iuuat auſpice Phæbo,
  Heroum meritis texere ſerta Comis.
Extera facta Italus celebrat facundus, & ipſe
  Incſytus Aonia voce canenda facit.

Sicu-

## Siculi
## *ICON. II.*

LAudator Patriæ Siculus, natalia ſæpe
Aſtra effert, Cælo fixus vbique ſuo.
Ingenio eſt acer, volucris mente, ignea pectus
Imbuit, atque animat vis, calidusque vigor.
Ardeſcit facilis, faciliſque relabitur ira,
Nec ſpes ferre valet, nec ſua vota diù.
Olli amor immodicus, ceu Mulciber æſtuat intus,
Pectora cum Paphijs incaluere focis.
At facundus amor, teneroque diſertior ore,
Quaſque fouet, loquitur garrula muſa, faces.
Impatiens noxæ, noxam at vix vindicat vltor,
Nec Nemeſis memori in pectore longa furit.
Nec patitur facilis, nec mordet frena rebellis,
Obſequitur, Patriæ at iura verenda tenet.
Scinditur in partes ſtudijs ardentibus ambas
Pronior, & ſiculo turbida quæque placent.
Miſcet, verſat, agit pacata, domique nouari,
Atque foris rerum commoda ſemper auet.
Eſt frugi, cyathis ſiculis nec mèrgitur, Hoſpes
Hoſpitibus Comis; Relligione piùs.
Hi ſiculi vultus animique latentis imago,
Quam finxit Cœlum ſydere, lacte Parens.

# Neapolitani

## *ICON. III.*

COeli temperies verni, clementior aer
Parthenopes ſidus nobile, dulce ſolum;
Dant faciles Genti mores, dant pulchra videri
Corpora, & in laudes pectora prona ſuas.
Par formæ cultus: nulli coma pulchriùs errat,
Prelior itque habili corpore nulla toga.
Non virtute pares, genioque, aut indole magna,
Moribus aut ſimiles grandior Orbis habet.
Gloria magnanimes vrit, famæque cupido
Aeſtuat, egregia & pectore flamma calet.
Alipedes frænare auro ſpumante, manuque
Flectere, & in volucrem mox animare fugam,
Ludere vibratis armis, & vulnere docto,
Frangere in aduerſo robora certa ſinu.
Egregiæ hæ Gentis laudes: hinc Spiritus ingens,
Ardua cum vero prælia Marte calent.
It maior fatis, it grandior hoſte metuque,
Intrepidum doctus ferre, referre gradum.
Egregius miles, melior Dux, cautus, & acer,
Ingenio dextra, viribus, arte valet.
Conſilijs & pace valet, cum ſcilicet æuo
Maturo eſt alius crine, animoque color.
Nanque ætas calido iuueni dum florida vernat,
Mobilis eſt nimium mens, geniuſque ferox.
Pronior ad capulum manus it, ſubitoque laceſſit
Igneus ad pugnam Parthenopæus Eques.
At ſtudijs colit ingenium: crinitus Apollo
Non alibi cythara nobiliore canit.

Mil-

Millenas numeres Muſas; hinc cernitur vndis
Sebethus Modicis currere, pauper aquis.
Nanque phalanx vatum numeroſior ebibit, hauſtu
Siccat & aſſiduo flumina lenta ſuo.
Tandem Gens Vrbana, omnes ſe ſe induit vltrò
In mores, pectus cerea, mente capax.
Et patitur frenos, nec dedignatur habenas,
Faſcibus & Dominis obſequioſa ſuis.
Se nimium, & Patriam iactat. Sed credite, talem
Nulla ſatis Patriam lingua diſerta canit.

## Matthæi Cudneri Angli Clerici Regularis.

### ICON. XVIII.

*Non à meo calamo Icon hæc: ſed Cudneri eiuſdem; Viri è noſtro Ordine in pangendo Carmine, ac in reliqua humaniore litteratura ſupra inuidiam magni. Habes excellentis huiuſce muſæ libamentum quoddam: atque vtinam quæ Angla hęc Apis cecinit elegantiſſimè, extarent, aut quę extant ſparſa huc illuc poematia, coirent, aſpicerentque ſuam lucem; Cognoſceret profectò Lector ab eo latinæ dictionis, faciliſque venæ cultu non defuiſſe æuo huic noſtro citra ſtyli licentiam, ac ſordes Ouidios ſuos. Ab hoc muſarum naufragio tabulam hanc ipſe arripui, in quo deſcripta graphicè Auctoris imago, antequàm Theatinæ Congregationi nomen daret, illamque in hac Pinacotheca noſtra Sacram æternitati volui, ne totus interiret Cudnerus; qui hac de ſe candidiſſima elegia conſignauit.*

OLim Naſonis mærentia carmina legi,
Quæ de ſe patria luce carente canit.
Et mihi, qui pulchre felix tunc eſſe videbar,
Illius è lachrymis mella liquata bibi.
Vt, qui præceſſa ſtans rupe ruentia ſpectat
Inter ſe telis agmina denſa Virûm.
Hic cadit; huic vulnus ſtridet ſpumante cruore;
Hic victor fremit, & quà ruit enſe, micat.
Omnia miſcentur, victo, & vincente furore,
Crebra ferens mortem glans per inane volat.
Nunc æs fulmineo diploſum puluere Cœlum
Terret & ingenti vaſta dat arua globo.
Gaudet Spectator tanto molimine belli,
Dum res geſta ſua ſit ſine parte mali.
Sic ego Naſonis lachrymandi mille figuræ,
Tactus amore ſtyli, dum legerentur, eram
Nil veritus, fato ſimili ne fungerer ipſe,
Neu triſtes gemitus, quós dedit ille, darem.
Eſt factum contra: gemitus, & flebile fatum
Venerunt, & vbi mella fuere, fel eſt.
Sic nihil in rebus certum dominatur, & altam
Fors pellit, minimè cum vereare, rotam.
Naſo, tuis mea mens ſi capta leporibus vnquam,
Vatem te dignum, qui deameris, amat,
Is modò ſit vates, cui mens cita rebus abundet,
Et leni, qua vult carmine, muſa fluat.
Húc ades, & mæſtæ ſolatia necte Thaliæ,
Quæ tibi tàm facilem ſe dedit eſſe Deam;
Sic tibi, Cum ſtygias exercet fuſilis vmbras,
Langueat in pœnas flamma remiſſa tuas.
Sed quid ego vanâ deludor imagine rerum?
Quid mihi cum turba, quam ſtygis vrget aqua?

Huc-

Huc ades, Helciada, Solymas miſerate ruinas,
Dum Gens Aſſyrium ferret Hebræa iugum :
Huc etiam plen ô qui numine vincis Homerum,
Rex Vates liquidam pellere docte lyram.
Et mihi qui varijs curarum iactor in vndis,
Quos canitis, mæſtos ſuppeditate modos :
Sic dia ſatiet veſtras dulcedine mentes,
Quem vos aduerſo cernitis ore, Deus.
Qui legis hæc, hominis miſeri miſereſcere diſce,
Qui fleat inde tuam, poſt habiture, vicem.
Legibus æternis ita Sacra volumina cautum
Teſtantur: Quiuis quæ ſerit, illa metet.
Anglia me primo donauit lumine Cæli,
Londini, Thameſis pura quod vnda lauat.
Sol tum quindecies viginti luſtra mearat,
Atque decem, menſes quatuor, atque decem,
Poſt lapſam è Cælo veſtitam carne ſalutem,
Solis & ille dies nomine feſtus erat;
Et Domini ſolis, clari quoque Præſulis, olim
Egypto profugus qui mala multa tulit.
Et ſextus nonas Maias: erat hora ſecunda,
Ante ſuos quàm Sol in mare ferret equos.
Fœmina, ſed pluſquam Vir, regia ſceptra gerebat,
Nomine mellifluo dicta Maria, fuit.
Illius ante diem Pater vt fore funera credit,
Chriſmate me Sacro roborat ante diem
Namque relapſuros in ſchiſmata cæpta Britannos,
Si raperet ſolium perfidioſa Soror,
Ergo bis decies nocturna fugauerat aſtra
Sol, mihi cum frontem munijt ille latex.
Septimus, & decimus menſis poſt voluitur, Illa
Interit, heu Patriæ ſola columna meæ.

Hor-

Horrida Tartareis Soror vndique cincta colubris
Regnat, agens miro dira venena dolo.
Et Chriſti, ò ter ſuaue iugum depellere collo
Plebis, dans vitijs arma, decuſque parat.
Et parat, & præſtat, vitio virtute fugata;
Aſt hæc me puerum non tetigere mala.
Dulcibus exceptus genitricis, & altus in vlnis,
Nil traxi niſi quæ præbuit illa mihi.
Sola mihi lac dulce dedit, cum puſio ſerem,
Solaque grandiculo dulcia iura dedit.
Hoc vites; illud factum bene: laudo; memento
Sic iterum: extincta me, mea dicta canes.
Nunc puer es; puerum iocus, & bellaria mulcent;
Mulcent, quæ didicit matre docente, ſenem.
O quicquid ſuperùm colitis Cæleſte cacumen,
Reddite quæ de me tanta meretur anus.
Octo annos natum me lingua latina ſequacem
Ductabat neruis, articuliſque ſuis.
Hic nihil inueni quod me tardaret euntem:
Viſa mihi in latium lata fuiſſe via.
Aſt operis interruptis obeunda, quod acris
Vt mea mens rapitur, ſic citò feſſa labat.
Omnia luſtrabam, modòque luſtranda putarem,
Vt mihi ſub verbis viſque lepoſque foret.
Mox Græci moles miratus, & æquora ponti,
Illius exiguà littora naue lego.
Nil auſus procul à certa Demoſthenis vnda,
Aut leni Lyſiæ flumine vela dare.
Fluctibus aſſueſco tandem, pelagique fragori,
Et pauitans eo, quà monſtrat Homerus iter.
Tùm procul aſpicio quæ ſaxa minantia vicit
Pindarus, haud vlli poſt ſuperanda rati,

De-

Demiror faciles lapſus, luſuſque poetæ,
Quà ſine naufragio nulla carina meat.
Interea retro conuerſa fronte paternam
Feruere Vulcano cerno furente domum.
Mitto leuis Cymbæ ſimulata per æquora ludos,
Me domus inde domum mox ruitura vocat,
Tunc rutila Gallos terrebat forte corona
Carolus, hic illo nomine nonus erat.
Gallis in caput hæreſeon ſpargentia virus
Vortice ſtyx rupto lurida monſtra vomit.
Permeat hæc labes latè loca; iamque cruentum
Spiratur paſſim. Rex timet ipſe ſibi,
Diſſimulat tamen,& tacita cum mente volutat,
Quo fugitiua modo ſit reuocanda ſalus.
Edicit, ſed vix dicit, (pugnantia dicat
Dicere me, qui me neſciat eſſe breuem)
Arcanò dicit, certum ſibi tempore certo
Hæreticas tædas anticipare rogis,
Hoc dictum edicti fuit inſtar, in arma repentè
Miles,& in cædes, Regis amore ruit.
Occidit ante alios ſcelerum caput, eque feneſtra
Triſte, interpreſſa fauce pependit onus.
In reliquos totam noctesque, dieſque per Vrbem
Sæuitum, fatis fata dedere locum.
Quique faces ſe iactarunt in Tartara iacti,
Ex ſe ſe ingentes conſtituere pyras.
Hæc tamen haud ſolos concluſit funere clades,
Seditione truci qui meruere necem.
Vt ſolet incenſum latè glomerare fauillam
Præpete vi uenti per ſata lata nemus.
Trans mare fama volat, Regnum terroribus implet
Anglorum, Gallos iam cecidiſſe Duces.

Hæ-

Hæreſeon cecidiſſe Duces, quibus Anglia freta
  Sperabat, belli tempore, pace frui.
Iamque furit Regina: iubet, capiantur, auita
  Qui ſe teſtentur viuere velle fide.
Omnia continuò flagrant ferroque, miniſque
  Corripit,& noſtrum concita flamma larem.
Tùm captus didici, quid ſqualor carceris eſſet;
  Aetatis fuerant vix tria luſtra meæ.
Poſt ſextum decimum tandem me libero menſem,
  Corruptis pretio, qui tenuere fores.
Belgica felici profugus peto littora vento;
  Protinus enſe latus munior, ære caput.
Eſſe quidem ſemper cupij Mauortis alumnus,
  Corpore in exiguo cor mihi grande ſletit.
Sed ludi, Venerisque fugax, tolerare nequibam
  Auribus, aut oculis, quæ fera caſtra parant.
Ad muſas redeo notas, artemque loquendi,
  His exercendis proximus annus abit.
Cogito poſt Romam, geſtis quæ rebus amorem,
  Vimque ciet, ſi cui mens generoſa ſubeſt.
Nec mirum, vis eſt, prorſum ſi Roma legatur,
  Contrà, ſi rurſum, vis tibi fiet amor.
Hic fuit ille annus, Romam cum plurima viſens,
  Supplex cum gemitu ſe pia turba piat.
Inſula Gregorio, quo non auguſtior alter,
  Circumplexa caput ſuſtinet alta crucem.
Aduenio Romam febri correptus inerte,
  Quà mihi quatriduò luditur orbe malum.
Luſtro tamen ſacras, queis poſſum viribus, ædes,
  Implorans Superûm, vix pede nixus, opem.
Hora vna febris diſceſſit,& exijt annus.
  Se ſacra Silueſtro clauſerat ante dies.

Delicias Vrbis anno Colluſtrò ſequente,
Miratus veteris molis,& artis opus.
Poſt hæc quos ſoluat nodos Dialectica, diſco,
Vtque aciem mentis per loca cæca regat.
Et quidquid doctis ad nos manauit Athenis,
Quoſque Dei format pagina Sacra typos.
Quidquid,& in terris, quid ſit ſuper æthera, ſcitur:
Quò ſpero hoc animi, carne putrente, vehi.
Illis Germani me annis habuere ſodalem,
Eſt domus in media nobilis Vrbe ſita.
Hic ego quos hominum vidi, coluique lepores?
Queis ego ſum contrà viſus,& ipſe lepos?
Inter nos vt nos dileximus; vt fuit idem
Inter nos animus, lingua, Camœna, Deus?
Soluitur illa cohors, dilabitur; hic petit illam;
Hic illam mundi, me remanente; plagam
Nunc, ò nunc quantum eſt lachrymarum, effundite riuos,
O, oculi, venas rumpite, diffluite:
Quid mihi poſt vitæ fuerit memorate fluendo,
Hic mea, quæ fluxit, inuſa rigore ſtupet.
Pingite vos, niſi vos rigor obſtupefecerit idem,
In facie liquidis, quæ gero mente, notis.

# ICONVM POETICARVM

## *Liber Secundus,* SIVE ICONES GENTIVM.

### Itali

### *ICON. I.*

EST Italis cultus diſpar; non indole viuunt
Vna, diſcolor eſt frós,coma,lingua, chlamys.
Aurea cæſaries grauat hunc,hunc nigra,fluitq;
Nobile per collum hæc longior,illa breuis.
Ore color diſpar. Hunc ceu vaccinia fuſcant,
Huic niueas pingunt alba liguſtra genas.
Eſt qui Gallum habitu, ſectoque imitatur amictu,
Sunt & preſſa quibus veſtis Ibera placet,
Quàm varius ſermone Italus: pretioſa diſerto
Lingua ſonat Thuſco; Romulidiſque grauis.
Mollit verba Henetus, mutilat ligur, auget Iapyx,
Campanus laxat, luxat & Inſubria.
Indole ſed grandi eſt Italus, mens ardua, & ingens,
Egregium & magno in pectore robur ineſt.
Stat rerum medio. Ingenium nec mobile Galli,
Nec placet Hiſpani grande ſupercilium.
Immigrat in mores omnes verſatilis olli
Cerea ceu finxit pectora, & ora Deus:

Sic cultum cultu peregrinum imitatur, & ora
Ore refert, animos exprimit atque animo.
Eloquio Graijs par eſt, & diuite lingua,
Certat Aquitanis vi, celerique manu.
Robore Germanos, lentos exæquat Iberos
Conſilio, artifici & pollice Niliacos.
Eſt animo patiens, rabidum ſcit frangere ſydus
Icarium, Arctdum frangere ſcitque Iouem.
Par aulæ, & caſtris; ſole inclareſcit, & vmbra,
Culta domi virtus Itala, clara foris.
Armaturque toga, moderatur ſceptra ſagatus,
Faſcibus eſt fortis, prouidus eſt clypeo.
Dat ventis, & iura mari, luſtratque coruſcum
Mundiuagus puppi remige vtrumque iubar.
Neptunumque docet famula ceruice ſuperbum
Ferre graues toto Gange, Tagoque rates.
Artibus & floret; ſtudijs ardeſcit, & alget;
Ingenium docile eſt vertice, non humeris.
Delicijs rigidè haud parcit, nec mergitur illis,
Ardet, nec durat pectore longa Venus.
Virgineas colit & Muſas, & Apolline Sacro
Feruet Caſtalias Phocidos inter aquas.
Lauro vmbrat vocale aurum; iuuat auſpice Phæbo,
Heroum meritis texere ſerta Comis.
Extera facta Italus celebrat facundus, & ipſe
Inclytus Aonia voce canenda facit.

Sicu-

## Siculi

### I C O N. II.

LAudator Patriæ Siculus, natalia ſæpe
  Aſtra effert, Cælo fixus vbique ſuo.
Ingenio eſt acer, volucris mente, ignea pectus
  Imbuit, atque animat vis, caliduſque vigor.
Ardeſcit facilis, faciliſque relabitur ira,
  Nec ſpes ferre valet, nec ſua vota diù.
Olli amor immodicus, ceu Mulciber æſtuat intus,
  Pectora cum Paphijs incaluere focis.
At facundus amor, teneroque diſertior ore,
  Quaſque fouet, loquitur garrula muſa, faces.
Impatiens noxæ, noxam at vix vindicat vltor,
  Nec Nemeſis memori in pectore longa furit.
Nec patitur facilis, nec mordet frena rebellis,
  Obſequitur, Patriæ at iura verenda tenet.
Scinditur in partes ſtudijs ardentibus ambas
  Pronior, & ſiculo turbida quæque placent.
Miſcet, verſat, agit pacata, domique nouari,
  Atque foris rerum commoda ſemper auet.
Eſt frugi, cyathis ſiculis nec mèrgitur, Hoſpes
  Hoſpitibus Comis; Relligione piùs.
Hi ſiculi vultus animique latentis imago,
  Quam finxit Cœlum ſydere, lacte Parens.

# Neapolitani
## ICON. VII.

COeli temperies verni, clementior aer
  Parthenopes ſydus nobile, dulce ſolum;
Dant faciles Genti mores, dant pulchra videri
  Corpora, & in laudes pectora prona ſuas.
Par formæ cultus: nulli coma pulchriùs errat,
  Preſſior itque habili corpore nulla toga.
Non virtute pares, genioque, aut indole magna,
  Moribus aut ſimiles grandior Orbis habet.
Gloria magnanimos vrit, famæque cupido
  Aeſtuat, egregia & pectore flamma calet.
Alipedes frænare auro ſpumante, manuque
  Flectere, & in volucrem mox animare fugam,
Ludere vibratis armis, & vulnere docto,
  Frangere in aduerſo robora certa ſinu.
Egregiæ hæ Gentis laudes: hinc Spiritus ingens,
  Ardua cum vero prælia Marte calent.
It maior fatis, it grandior hoſte metuque,
  Intrepidum doctus ferre, referre gradum.
Egregius miles, melior Dux, cautus, & acer.
  Ingenio dextra, viribus, arte valet.
Conſilijs & pace valet, cum ſcilicet æuo
  Maturo eſt alius crine, animoque color.
Nanque ætas calido iuueni dum florida vernat,
  Mobilis eſt nimium mens, geniuſque ferox.
Pronior ad capulum manus it, ſubitoque laceſſit
  Igneus ad pugnam Parthenopæus Eques.
At ſtudijs colit ingenium: crinitus Apollo
  Non alibi cythara nobiliore canit.

Mil-

Millenas numeres Muſas; hinc cernitur vndis
Sebethus Modicis currere, pauper aquis.
Nanque phalanx vatum numeroſior ebibit, hauſtu
Siccat & aſſiduo flumina lenta ſuo.
Tandem Gens Vrbana, omnes ſe ſe induit vltrò
In mores, pectus cerea, mente capax.
Et patitur frenos, nec dedignatur habenas,
Faſcibus & Dominis obſequioſa ſuis.
Se nimium, & Patriam iactat, Sed credite, talem
Nulla ſatis Patriam lingua diſerta canit.

## Veneti

### *I C O N. IV.*

ADriaco dat iura mari, ſubiectaque plantis
 Deſpectat dominis æquora, Gens Veneta.
Margaris Auſoniæ, libertatiſque latinæ
 Relliquiæ, ſceptris edita, & Imperio.
Ore grauis, grauis inceſſu, venerandaque pulchro
 Maieſtas, & amor fœdere fronte ſedent.
Non chlamydi luxus, lambitque lacinia talos,
 Sirius hanc laxat, turbida ſtringit hyems.
Tegmina ſtant capiti frugalia, libera, nuda,
 Non apicem, fuluam cæſariemque grauant.
Vertice & intacto flexa ceruice ſalutant,
 Tangentes facili pectora amica manu.
Ceu ſignent dextrà niuei conclauia cordis,
 Purus vbi ingenuis ignibus ardet amor.
Aſſurgunt ſenio iuuenes, intonſaque pubes
 Supplice grandæuo excipit ore Patres.
Inclyta Conſilio, curas euoluere mundi
 Gens gnara, ingenti pectore magna premit.
Italiam librant, Regeſque æquare potentes
 Iuſta lance, hoc eſt nobile Gentis opus.
Pondere & æquato rerum, ſic Regna tuentur:
 Pluſquam prompta manus, mens operoſa valet.
Sunt & facundi Veneti; pendetq; Senatum
 Sæpius auritum diuite ab ore vides,
Non ius Cæſareum curæ, lanceſque latinæ,
 Legibus at patrijs publica fræna regit.
Regius eſt cultus tectis; it marmor ad aſtra,
 Et ſimul in tremulis ludere cernis aquis.

Dal-

Dalmatico fulgent auro laquearia; pulchrè
  Sub trepido & rutilat fulgida gemma pede.
Tuta ſuis vndis Gens eſt; munita liquenti
  Equore, terrarum non timet illa minas.
Inconcuſſa magis vitreis ſtat mænibus, & quæ
  Ignea Mars torquet fulmina, lympha necat.

Ge-

## Genuenſis

### *I C O N. V.*

PRiſca laude Ligur clarus, clarusſque recenti eſt
Dignus, Apollinea quem notet arte color.
Et vultus breuis hæc habeat, frontemque tabella,
Nec taceat mores linea muta virûm.
Scilicet, eſt roſeus Gentiſi floreat æuum,
Ore color, rutilo & vertice fuluus apex:
Viuida ſtat virtus membris, habiliſque; nec ingens,
Nec modicum pulchro in corpore robur ineſt.
Ingenio valet arguto, varioque, per omnes
Flexilis it curas mens, animuſque capax.
Par muſis, doctæ par eſt ſtudijſque Mineruæ,
Pallas at in ligurum limine rara docet.
Par, Bellona, tuis ſtudijs; nam Marte ſecundo
Sæpe graui ligures detonuere manu.
Priſcaque adhuc ardent monumentis bella diſertis,
Et repetita recens vulnera Belga dolet.
Nunc non arma placent, non ferrum triſte, ſed auri
Fulgor, & Attalico fœnore pacis opes.
Scilicet hoc illi ſtudium nec inutile, fuluum
Vt queat auro aurum conduplicare ſuum?
Hinc numeros diſcit calamo reputare volucri,
Et Samias memori currere mente notas.
Totus in hoc ligur eſt, ea princeps cura, minutos
Arte hac diuidua diſſecuiſſe atomos.
Paſciturque acri ingenio, quæ haud ſedulus ipſe
Aera Siracuſius ſupputet arte ſenex.
Hac bellè doctus numeroſa Pallade, largas
Prouidus externo in littore quærit opes.

Gan-

Gangem vltrà, citraque volat, quà gemmiſer ardet
  Pactolus, rutila fulget & Hermus aqua.
Qua pretioſa Tagi micat vnda, & diues Hydaſpes
  Flaueſcit, ligur hic ingenioſus adeſt.
Piſcaturque aurum. At nullus non auriſer amnis
  Eſt liguri, æra illi fulgida vbique fluunt.
Qua Titan lucis ſpargitque, & conſerit aurum,
  Et Calamo, & numeris demetit ille ſuis.
Hinc doctus fræнare rates, & dicere ſæuo
  Ventorum Regi iura, mariſque Deo.
Nulla latet ſinuoſa Thetis, volat impiger vltrà
  Alcidem, ipſe ſibi fit Cynoſura ligur.
Veliuolæ eſt arti pretium; redit aureus, illi
  Nauigat & tota cum Babylone Tyrus.
Sic ſubito diues: nitet auro culta ſupellex,
  Regifica & picto ſyrmate tecta vides.
Diuitiæque domi fulgent, eſtque Attalus intus,
  Namque foris ſimplex eſt, viduumque latus.
Olim non epulis lautus; nunc lancibus aureis
  Luxuriat, volucri & Phaſide menſa calet.
In pretio eſt nectar ligurum, menſæque ſecundæ
  Non alibi ſucco nobiliore placent.
Docta nurus tacili ſudatas incoquit igne
  Delicias, ſupero fercula digna Ioue.
At, num certa fides, atque irreuocabile verbum
  Eſt liguri? mendax vulgus id ore negat.
Matribus eſt hilaris permiſſa licentia; blandi
  Sunt luſus, atque eſt alea mixta viris.
Priſca ſed hæc fuerit libertas candida, & illis
  Eſt Sanctus, taceat garrula fama, pudor.
Piſce vacet ligurum pelagus, vacet abiete collis.
  Non vacat at niuea virque, nuruſque fide.

Hoſpi-

Hoſpitibus Comis: ſed tu laudare memento,
 Quiſquis es, & mores hoſpitis, & Patriam.
Eſt ardor nimius Iuueni; ſi læſeris vltro,
 Non ferro, aut auro parcit inulta manus.
Grandæuo ſed cura ſenex: ſcit tempus vtrumque,
 Conſilioque ſagum temperat, enſe togam.
Nec rara eſt pietas, nec auara. Hic mirus habetur
 Nexus, nummi cum Numine iunctus amor.
Diuitis, & Ditis prope diſtant nomina; nigro
 Et vicina Erebo fulua metalla latent.
Hactenus effigies: nanque eſt ſat nomine clarus,
 Indole, & egregia ſparſus vbique Ligur.

# Florentini
## *ICON. VI.*

Diuite nunc lingua Tuſchos Florentia mores
  Exprimat & Gentis viru, ſtudiumque ſuæ.
Nomine ſat clarus Thuſcus: iuuat indole picta,
  Illius & genium noſcere, & ingenium.
Cultis ora ſonant verbis ornata, ſed illis
  Eſt concinna magis lingua, diſerta minus
Nanque licet niteant verba aurea, copia fandi
  Non eſt fuſa viris, parcaque vena fluit.
Eſt pueris feſtum ingenium, eſt & lingula prompto
  Ore dicax, lepidi ſunt, facileſque ſales.
Fert alios ætas mores; creſcentibus annis
  Creſcit & obducto patrius ore rigor.
It tacitus, ſecum voluat ceu mente profunda
  Magna, nec eſt grato Comis in ore lepor.
Haud terit officijs tempus; non verba ſalutant
  Aulica, vel nullum, vel breue it ore vale.
Subtilis nimium Gens eſt, & acuta, per acrem
  Et res ad limam ſtrictius illa vocat.
Hinc Thuſco populis mens eſt minus apta regendis;
  Haud benè mens faſces rexit acuta nimis.
Vrbes conſilium; ingenium gymnaſia poſcunt;
  Qui dat iura, grauis; qui docet, acer erit.
Commoda ſed ſtudio meliore domeſtica curat,
  Ordinat & bellè rem, lepidèque domi.
Auget & ingenio cenſus, opibuſque parandis
  Haud dubitat patrijs finibus ire procul.
Quas ſibi magnificas ſudato congerit auro,
  Quàm benè quæſiuit, tàm bene ſeruat opes.

Scili-

Scilicet eſt tenui cultu frugalior, amplos
Diſſipat haud cenſus ambitioſa manus.
Non epulis ſtudet Attalicis, Cyathiſque ſuperbis,
Sed menſa virtus ſplendet auita breui.
Hac arte amplificat cultas, villaſque, domoſque,
Ingenteſque lares parua culina facit.
Apta Mineruali ſtudio, curæque, ſed auro
Pallenti, pluſquam Pallade Gens capitur.
Plebs aurum, aurum nobilitas induſtria quærit,
Lucra opulenta codex, qui notat, ille placet.
Eſt & multus olor ripis florentibus Arni:
Temperat hinc cytharas Itala muſa ſuas.
Hic priſci Manes Phæbei, vmbræque canoræ,
Queis ſint apta modis plectra mouenda, docent.
Accipit hinc leges facundia docta, diſertos
Siue pedes nectat, ſiue ſoluta fluat.
Libera Gens olim, centum iam Curia frequens
Patribus, & terris iura, marique dedit.
Nunc accepta placent fræna aurea, iactat & amplum,
Quod regit Imperium nunc Medicæa manus.
Haud inteſtino ſcindit diſcordia Ciues
Marte, nec aſſidua curia cæde calet.
Nunc eſt florenti libertas aurea Thuſco,
Aurea nunc tanto Principe ſecla fluunt.

Hiſ-

# Hiſpani
## *ICON. VII.*

NOn ingens mole Hiſpanus, non corpore vaſtus
Grandibus oſtentat membra ſuperba toris.
Magna ſed eſt virtus animoſo in pectore, nec ſe
Continet in paruo vis generoſa ſinu.
Intumet, effertur, magno ſe venditat ore
Magnificè, & pompa diuite facta refert.
Impigra grandiloquo nec dextera diſſonat ore,
Elatus iactat maxima, plura facit.
Florem æui dura præteruolat indole, acerbus
Annis, maturus bello, animoque vir eſt.
Belliger, impauidus, ſoboles velut inclyta Martis,
Indormit clypeo trux, galeaque bibit.
Fert hyemes, rigidoque gelu calet acer: Iberum
Non labor, aut vultu terret anhela fames.
Fatorumque capax non horret fata, feroci
Prodigus atque animæ, pronus in arma ruit.
Olli pes volucris, corpus rotat alite motu,
Euitat facilis tela, agiliſque iacit.
Armatus tranare amnes doctus; quæ brachia iactat,
Horreſcit trepido flumine flumen idem.
Acri marte ferox, calidusque, ſed ignea virtus,
Ceu preſſa egregio in pectore, pace tepet.
Cura ſedet vultu, maieſtas inclyta fronte,
It lento grauitas imperioſa pede.
Tempora metitur prudens, ventura volucri
Mente præit, retinet ſecula priſca memor.
Hinc falli ignarum pectus, curæque profundæ
Pondera, Sceptri hinc mens, Imperijque capax.

Atta-

Attalica at tenui non menſa ſuperbit Ibero;
  Non liquat auratus Maſſica vina calix.
Contentus paruo: facili ſtant fercula lance
  Parca, gulamque breuem temperat eſca breuis.
Nempè domi parcus; cum ſcilicet ære paterno
  Contentus, Patriam, tectaque auita colit.
Nam ſi quando ſuis procul ire penatibus, atque
  Contigit externa viuere forte dape:
Non Samius pauo, non perdix aduena, lauto
  Non ſatis Hiſpano menſa, Luculle, tua eſt.
Quæſitus tùm veſte nitor: ieiunia perfert;
  Fulgeat vt limbo diuite culta chlamys.
Strictius itque humeris ſagulum; nil pulchrius illa,
  Quæ tegit Hiſpanos, mollis aluta pedes.
Nunc vigil intentus ſtudijs, libroſque fatigat
  Infracta, & nunquam feſſa labore manus.
Quæ Iouis erupit fœcundo è vertice Pallas,
  In caput Hiſpanum nunc rediiſſe putes.
Sic dum ſcribendo tempus teris, atteris annos
  Nomine, & in chartis viuis, Ibere, tuis.

# Galli

## ICON VIII.

GAllica Gens vultu formoſa: eſt fœdere pulchro
    Vernis mixta roſis nix pretioſa genis.
Cirratus vertex crinitum depluit aurum,
    Ventilat & fuſas colla per alba comas.
Formam auget cultus: ſummum vix tegmina crinem
    Delibant, metuat ceu coma fulua tegi.
Laxior it per membra chlamys; cinctuque ſoluto,
    Et pompa gaudet liberiore ſinus.
Vndique diſciſſum ſagulum, perque aurea cernis
    Vulnera ceu textas luxuriare niues.
Ignea mens illi, pectuſque volubilis ardor
    Intus agit, neſcit feruida ſtare loco.
In noua fert animus ſemper; faciliſque refracto
    Scinditur in partes fœdere, & arma mouet.
Bella cupit, Martemque ferox: cum prælia deſunt
    Sæua foris, ruit in prælia ſæua domi.
Hæc Gentis ſtudia: alipedes frænare ſuperbos,
    Strictaque fulminea tela rotaſe manu.
Auratam premere ære comam, Phœboque peruri,
    Ferre gelu, inſpergi puluere, dulce putat.
Læta ſed eſt dulci, feſtâque ferocia fronte;
    Scilicet eſt acer Gallus, & eſt alacer.
Aſſiduus choreis, cythara lætatur eburna,
    Gaudet, & arguta voce animare lyram.
Aſſiduus celebratque dapes, curaſque moleſtas
    Vndanti mergunt pocula Coa mero.
Nullus in ore rigor, non frons obducta, Seuera
    Maieſtas hilari nulla ſupercilio,

G    Nec

Nec mentem figmenta tegunt, non lingua bilinguis,
It Sermo ingenuus, liber & ore animus.
Hoſpitium facile eſt Genti, mutuque mariti
Haud pudet ignotis oſcula ferre nurum.
Hoſpes & ipſe libens, Vrbeſque, atque extera regna,
Et mores hominum noſcere Gallus auet.
At patria extorres Gallos, terriſque vagantes,
Mutuus haud patrio fœdere nectit amor.
Eſt Gallo infeſtus Gallus, probriſque viciſſim,
Et ſe conuicijs Gens peregrina petit.
Tandem prona Venus, Paphijque cupidinis arcus
In faciles torquent aurea tela ſinus.
Sic amat, & pugnat Gallus: ſtant pectore in vno
Compta, pharetratus Marſque, Venuſque ſimul.

# Germani
## ICON IX.

ASpera Gens Cœlo, non moribus: ardua ceruix
Stat latis humeris; pectora & ampla patent.
Ardent Germano vultus, flammamque rubentem
Mulcet, quæ it niueis lactea vena genis.
Vox hominem ſonat armigerum; qui palpitet intus
Acri corde vigor, martia lingua docet.
Sermone ingenuus, niueuſque eſt moribus; illi
Serus hymen, puro & pectore ſera Venus.
Inclyta nobilitas: cenſeri & ſanguine longo
In pretio eſt; iactat ſtemmata clara Domus.
Progeniem violare nefas tæda impare; ſtirpe,
Non cenſu gaudet diuite feſtus hymen.
Verſicolor ſua membra tegit Germanus amictu
Virgato, & Phrygia lena ſuperbit acu.
Præcipiti torques gemmâ cadit aurea collo,
Et Scythico diues fulgurat igne manus.
Stertere turpe domi eſt: manat qui fronte decora
Sudor anhelanti, & cura operoſa placet.
Indefeſſus amat rigido præludere Marti,
Sollicitatque nemus ferro, agilique cane.
Spumantes ſequiturque vrſos, villoſaque figit
Terga ferox, ſæua & Cuſpide ſternit apros.
Ardentem ſ luis nec hyems Arctoa moratur,
Non amnes, ſuperat ſaxaque anhela labor.
Hinc habili poſt Marte calet, duratque ferendo,
Et leuis eſt forti dextræ, humeroque chalybs.
Hinc ruit impauidus clypeata per agmina, creſcit
Ardor, quò creſcit feruida pugna magis.

Et ludit fato. Per vulnera ſpargere mille
Pulchram animam roſea morte Alemannus auet,
Eſtque auro, ferroque fides infracta, ſuoque
Cum Duce, Germanum eſt, vincere, ſiue mori
At Gens Martis amans, duri patienſque laboris
Neſcit veſanam gutture ferre ſitim.
Haud modus eſt cyathis; magnis ſe vrgere cululli,
Alternoque ſtudent exſtimulare mero.
Certatur: Bacchi furor igneus arma miniſtrat,
Sanguine pro roſeo Maſſica & vnda fluit.
Innectuntque diem ſolidum, noctemque bibendo,
Puraque laſſatur fundere vina calix.
Metiri Sol ipſe epulas non ſufficit, horis
Nocturnis ſubit & candida Luna vices.
Ebria tot properant Germano pocula crudum
Fatum, nixque ſolo eſt plurima, rara Comis.
Pone mero tandem ſpumanti fræna, cululli
Parce; magis viuit, qui bibit ore minus.

Angli

# Angli
## *ICON X.*

PAr Italis Anglus, genioque affinis, & ore,
Diſſita ceu formet pectora ſydus idem.
Fronte hilaris, vultu roſeus, flauuſque Capillo eſt,
Arduus & grandis mole, habiliſque manu.
Ingenio, & diues linguà; mendacia inaurat
Nulla ſed ingenio diuite lingua duplex.
Totus in ore Anglus, pura velut amnis in vnda,
Vultibus ingenuis pectoris ima vides.
Aut breuis, aut nullus mæror: necat, excutit omnem
Curam animo, feſtis exhilaratque iocis.
Delicias inter genius terit impiger horas,
Gaudia & alternant irrequieta vices.
Pocula nunc ardent, nunc plauditur aula choræis.
Mox iactat faciles ſcena diſerta ſales.
At cum bella tonant; Anglus generoſior; acri
Pectore, & obiectat ſæua per arma caput.
Iactatur talus, mora nulla: nec ignea durat
Dextra, ſibique parit plurima, pauca tenet.
Hoſpes munificus: Gens eſt ſed prona ſuperbis
Pompis, ſeque effert ambitioſa nimis.
Centenus lateri verna eſt, luxuque ſupellex
Regifico, Phrygius fulget vbique labor.
Aurum tecta vomunt rutilum, ſtratiſque tapetis
Dum pede calcatur, picta ſuperbit humus.
Doctus & Oceanum puppi frænare Britanna,
Et pelagi elatis turribus ire vias.
It, redit impauidus; nunc aſportare Canopum
Geſtit, nunc gaza Perſide vela tument.
Angle, deeſt pietas: audin? tuus obſtrepit vndis
Oceanus, noxas increpat ille tuas.

# Poloni.

## *ICON XI.*

AXe ſub Arctoa, Cæloque horrente Polonus
  Et riget, ingenuo vernat & ore ſimul.
Patria nix vultu ridet, flauetque Capillo
  Succina; quæ patrio littore, gemma micat.
Eſt lingua Illyricus facunda, eſt Sarmata Cælo:
  Indole nil Cæli, nil ſapit Illyrici.
Nam comis, frontique animus reſpondet amænus,
  Pulchra ſinu regnat gratia, & ore ſedet.
Excipit hoſpitio facilis: calet extera Sole
  Gens alio, at patrio ſe putat eſſe ſolo:
Veſte nitet; limbo Graios imitatur amictus
  Diuite, perque humeros it pretioſa chlamys;
Et ſcythicis hyemes infringit pellibus acres,
  Scitque ſuas niueo vellere ferre niues.
Gens bibula: at nullis flaueſcunt vitibus vuæ,
  Nullaque deſudant feruida præla mero.
Sed ſimilis liquor, roſeique vicaria Bacchi,
  Fuſilis è Cyathis grandibus vnda fluit.
Pocula nec mergunt mentem, incumbitque Mineruæ:
  Non acri ingenio eſt Sarmata, non hebeti.
Eſt pulchri, rectique tenax, pacemque ſolerti
  Mente colit, dura & prælia fortis obit.
Scitque domi dare iura, foris ſcit belliger æſtus
  Ferre graues, galeæ ſufficit, atque togæ.
Nanque licet gelida viuat, pigraque ſub Arcto,
  Haud eſt lenta pigro dextera Sauromatæ.
Vltima laus pietas: propior vomit hydra venenum;
  Nec fera Sarmaticos inficit hydra ſinus.

# Turcæ
## *ICON XII.*

ERupit Scythica Turca è Regione, feroces
Hauſit & è Scythica caute, geluque animos,
Ore color fuluus, vultu ceu palleat ignis,
Mores nempè truces exprimit ille color.
Ardeſcit lux torua oculis: hoc lumine cernis
Nulla ſit vt probitas pectore, nulla fides.
Extat in eraſo vix cirrus vertice: tali
Ipſa velut renuat vertice ſtare Coma.
Aſpicis intorto ſinuoſa volumina lino?
Non ſanum religat faſcia multa caput.
Barbaricum de more ſagum fert barbarus, arcus
Sunt humeris, ſæuo ſtantque ſupercilio,
Non animum, non arua colit; non vomere terram,
Non cultu mores aſperiore domat.
Ingenuas artes ars eſt odiſſe, decoris
Doctiloqua ingenijs nulla lycea patent.
Non Pallas curæ eſt; non impalleſcere chartis,
Scire quod eſt pulchrum, & diſcere, turpe putat.
Nobilitas nulla eſt Thraci, non ſplendor auitus
Lunigero; haud pictis aula ſuperbit auis.
Non nitor, at nidor menſis: non ſternitur oſtrum;
Hirſutâ at fumant fercula pelle ſuper.
Quid iuuat & purum nunquam libaſſe phalernum?
Lymphatus ſemper Thrax furit abſque mero.
Illecebris fusè indulget; diſcincta voluptas
It vulgò, turpis regnat vbique Venus.
Proruit, & genio ſpumantia fræna relaxat
Præcipiti, ingenio nullus in ore pudor.

Laudatur Caſtris Gens Thracia, robore, niſu,
Vi, iaculis, pharetrà, dextrà, agilique pede.
Pugnam init inclamans; fremitu ceu fata laceſſat,
Horriſono gelidum pellat & ore metum.
At furor eſt animis, non feruor: martia virtus,
At præceps; audax, non generoſa manus.
Immani feruet numero, numeroque laborat
Ipſa ſuo, grandi mole ruitque phalanx.
Siſte: pharetrati mores qui carmine Thracis
Pangis, gentilis luna ſilere iubet.

# Aethiopis

## ICON XIII.

ETHiopem totâ tergas Aganyppide lympha,
Non erit, Aethiopum Gens, nigra nigra, m
Nubeus eſt vultus, curuat qui brachia cancer
Axe ſub ardenti, totus in ore ſedet.
Torta, breuiſque Coma eſt; ceu margaris albet
Dentibus, eſt roſeis purpura viua labris.
Aut nuda it, tenuis vel byſſus corpus inumbrat,
Tam diro vexat ſydere membra calor.
Non inuecta alio peregrina ex orbe, ſub aſtris
Indigena orta ſuis, viuit & Orbe ſuo.
Gens antiqua, hominum primordia, iactat & altis
Primùm Panchæo thure litaſſe Dijs.
Olim Phæbo aras mactat, nunc merſa tenebris
Eſt alijs, paucis lucet & alma fides.
At delubra Deo ſtatuunt augusta, coruſco
Marmore ſtat paries, purpurat arte tholus.
Diues opum nempe: Attalicum vix æſtimat aurum,
Sæpius & niueus ſub pede fulget onyx.
In pretio eſt probitas: cui nigro in corpore ſpirat
Mens niuea, hic ſapiens eſt, propiorque Deo.
Poſt mentem ingenuam, genus alto à Sanguine iactat,
Iactat & antiquæ ſtemmata auita Domus.
Nulla characteres manus exprimit, eſtque character,
Aut auis, aut laurus Delphica, ſiue Leo.
Relligioſa ſuas hinc mutuat arte figuras
Memphis, quas ſolido marmore, & ære notat.
Regem amat, intrepide it medios generoſa per ignes,
Si iubet ille, illum ſic voluiſſe ſat eſt.

Expri-

Exprimit,& Regem: claudo cum Principe clauda eſt;
 Luſcaque, cum Regi luſca pupilla micat.
Si ſtudium quæris, pecori vigil excubat, arua
 Indeſeſſa colit, bis metiturque ſeges.
Extera at Aethiopum Gentem cum bella laceſſunt,
 Nulla mora: impatiens expedit arma furor,
Arcu humeri, pharetræque ſonant, vultuque peruſto
 Mars ardet, curuo fulgurat enſe latus.
Anthiopum at nigras vmbras exoſa; coruſci
 Phæbi muſa Comes, iam noua plectra mouet.

# Braſilienſis
## ICON XIV.

Axe ſub occiduo, qua Tethys vltima mundum
  Verberat, Herculeã non adeunda rate:
Naribus eſt ſimus Braſilius, æneus ore,
  Vi fortis, nudus pectore, crine fluens.
Non aræ, non thura illi; non fuſilis auri
  Effigiem, haud marmor, ficta vel æra colit.
Exulat his Numen terris; & pernegat, Orbem
  Qui regnat æternis faſcibus, eſſe Deum.
Nec pretium poſt fata bonis, nec flebile, flamma
  Vindice, ſupplicium ſontibus eſſe putat.
Fatidicæ ſe credit aui, pennatus & augur
  Quæ monet, attenta pronior aure bibit;
Itur aruſpicio ventura in ſecula, Vates
  In pretio eſt, homines omina cæca regunt.
Nulla fides, lex nulla, & nullus fulget in auro
  Inclytus imperio Rex, ſolioque ſedet.
Nullus & ingenio cultus; non Pallade docta,
  Mæoniaque colo, Perſide & arte valet.
Gens rudis: haud gaudet Sociali fædere, & vſu
  Incolit, & ſparſos vaſta per arua lares.
Inque dies viuit, genioque indulget, & æuo
  Præſenti, imprudens craſtina noſſe fugit.
Vna illi virtus; nempe haud bene facta ſeneſcunt,
  Gratia & in memori pectore longa viret.
Rete cubat noctu, ſomni piſcator anheli,
  Pendula & è tecto fluctuat ipſa quies;
Arte valet nandi; volucri per cærula curſu
  Aequora, durat per ſumma, per ima diu.

Eſque

Eſtque famis patiens; triduo ieiunia perfert,
Dura vigent nulla membra refecta dape.
At ſi ſtructæ aderint epulæ, non meta vorandi eſt,
Atque per aſſidua it guttura, & ora calix.
Sæpe illum moriens Sol inter fercula linquit,
Repperit atque inter fercula Sol oriens.
Dignius hoc ſcena: nam fæta puerpera ſurgit
Protinus è thalamo, functa dolore breui:
Ipſe ſed incolumis tenera pro coniuge coniux
Stat lecto, ipſe vices ſuſtinet, ipſe cubat.
Excipit officia, & bellaria ſueta maritus,
Et reficit vires vberiore dape.
Munera ſic bellè miſcent; dubioque parente,
Ille ne ſit mater, neſcis, an illa Pater?
Marſque, Venuſque calent; obnoxia pectora fœdis
Plus nimio geminis conſecrat hiſce Dijs.
Aequat Marmaricos crudelior ira Leones,
Et furit exerto mutuus enſe furor.
Arte ſaginatos feſta in conuiuia ſeruat
Captiuos, auido ſæuus & ore vorat.
Hoc ſaliare epulum, menſa hac nil dulciùs illi,
Improba quod dirè condijt ira, ſapit.
Officio hoc curat manes: non igne parentat.
Condit humi, & rete hinc explicat, inde dapes.
Quos abijſſe putat, ſomno indulgere profundo,
Et cyathis credit vina liquare ſuis.
Cæca ſed hos olim coluit Braſilia mores
Eſt nunc inuecta iam Cruce, mens alia.
Scilicet, affuſà, fugit nox impia, Luce,
Morum & barbariem diſpulit alma fides.

Indè

# Indi

## ICON XV.

ARdentes auro, gemmataque fræna ſonantes
Primus Apollineos aſpicit Indus equos.
Naſcentemque diem licet hauriat ore, iubarque,
Nox tamen in furuis palpitat atra genis,
Concolor itque humeris,& colli nuda flagellat
Cæſaries, pexo par, ſimiliſque ebeno.
Culta venuſtatem ſed dextera crinibus afflat,
Et roſeo pingit rore, crocoque Comas.
Corpora candenti velat nigrantia byſſo,
Et fluit ad fuſcos nix ſinuoſa pedes.
Suntque auro illuſæ chlamydes, micat Indica circum
Margaris,& multo lena adamante nitet.
At quantum cultu gemmarum fulget,& auri,
Tàm tenui eſt Indo ſobria menſa dape.
Non illi ſaliare epulum, non fercula fumant
Mille vni luxu diuite opima gulæ.
Hinc grandæua ætas, Pylios metitur & annos,
Tabes nulla viro morbida, nulla ſeni.
Bis videt æſtiuum Nemeææ ſidera prementem
Terga Feræ ſolem; bis metit Indus agros.
Larga Ceres Campis, rarus ſed palmite Bacchus;
Rara ſoporiferum nectar & vua liquat.
Mira fides thalamo: multa ſed coniuge coniux
Gaudet,& extincto carior immoritur.
Igne maritalem probat ignem, fuſaque crines
Inſilit in medios ambitioſa rogos.
Non Samij documenta Senis, non Porticus Indis
Graia ſonat, cultus nullus & ingenio.

Non

Non lis, non lex belligerat, facunda nec ardent
Roſtra, nec auditur feruere triſte forum.
Mentirique nefas: Sacrumque eſt fallere: falli
Ignarum vulgus, damna nec ylla timet.
Lenta armis Gens; nec refugit, nec bella laceſſit,
Aſtus, cum pugnat, plus valet, haſta minus.
Otia pulchra terit: fruitur puro æthere, & aſtris,
Aurarum faciles haurit & ore animas.
Gange legit gemmas, cultis opobalſama ramis,
Nardum illi, & refluis cynnama odora Comis.
Mittit ebur, nigrumque ebenum; blanditur & Indo
Pſittacus, & doctè non ſua verba refert.
Sunt, quibus effulget frons vna lampade, & vno
Sunt, qui ſtant agili corpore, euntque pede.
Pendula & his talos lambit prolixior auris,
Cernis & his acri in vertice ſtare canem.
Pallida at horreſcit, dum monſtra hæc Indica cenſet,
Muſa, & depoſito pectine muta ſilet.

Sinen-

## Sinenſis

## *ICON XVI.*

EXcluſus velut Orbe, ingentia mænia iactat
  Sinenſis, latè clauſus in Orbe ſuo.
Concolor eſt oleæ vultus, quibus æſtuat Axis,
  Sydera queis rutilant mitia, pura gena eſt.
Par ebeno crinis fluit alto à vertice, colla
  Verberat, eſt cultæ primaque cura comæ.
Namque ſagum ſimplex, diues ſed fulgurat auro
  Cæſaries; nectit purpura, gemma ligat.
Vis ingens membris: humanior ore diſerto,
  Ira breuis, ferro vindice nulla furit:
Extera dilaudat, patrias nec venditat artes,
  Et iuuat in laudes parciùs ire ſuas.
Preſſior eſt olli ſermo, non pompa loquenti
  Luxuriat, voluit magna, ſed ore breui.
In pretio ſcriptor; magni quàm tela Timantis,
  Plùs placet inſigni pagina ſcripta manu.
Anxiùs aſtra legit, radio metitur & Orbem,
  Et vitam inſpectis temperat auſpicijs.
Feruet ſæpe calix, auratas fercula menſas
  Lauta grauant, quoties proſpera vota cadunt.
Nullus & excipitur tectis, quin pocula libet,
  Porrigat & luxu diuite menſa dapes.
Auri ſacra fames vexat, redit inſtitor, itque,
  Augeat vt magnas ingenioſus opes.
Quin flamma artifici pretioſum vt temperet aurum;
  Ventilat ardentes mobilis aura focos.
Nocte vigil tota, vento colit impiger ignem;
  Surgat & vt ſeges hæc aurea, fronte rigat;

Men-

Mendax cura viros ludit, quos arte magiſtra
 Exercet melior, nobilitátque labor,
Nanque ebenum pulchre liman, variantque figuris,
 Dextraque ceu viuum Dædala format ebur.
Tempora quæ ſignat moles reuolubilis ære,
 Pulchrius haud alibi cernitur ire rotis.
Talia non Italus molimina fingit acuta
 Mente, nec arguto pollice Belga vigil.
Tecta colunt auro, pictis Conclauia laxant
 Porticibus, culto & marmore cuncta nitent.
Appendixque domus vernant pomaria, pulchris
 Areolis flores gemmea & vnda beat.
Gens olim pugnax, illis nunc otia curæ,
 Martia non mens, non vis animoſa ſinu.
Forte laceſſiti tractant ſi bella, miniſtrat
 Qui valet ingenio bella, acieſque regit.
Inclyta ceu clypeo, ſerrataque ægide Pallas,
 Laude pari, ingenio vibret, & arma manu.
Gens ſelix, cui rara, aut nulla ardeſcit Enyo,
 Montibus, & tuta eſt mœnibus ipſa ſuis.

Iberi

# Iberi Orientalis
## *ICON XVII.*

NOn ore ingenuus, non Comis& indole Iberus;
Aſperior cultu Gens, animoque rudis.
Nullus amor laudis tangit, non gloria curæ,
Quæque homini mens eſt ardua, prona iacet.
Non arguta manus, non ars: non gymnade pulchra
Strenuus exercet fortia membra labor.
Exul ab his Pallas, Cyrræus & exul Apollo eſt,
Garrula nec muſis vnda, vel vmbra beat.
Ebrius in longas trahit horas pocula, ſoluit
Et matutinas Veſpera ſera dapes.
Pronior augurijs mens eſt: molitur, & audet
Nil inconſulta relligioſus aue.
Pectore nulla fides niueo, mendaxque, bilinguis:
Rapta placent, doctus nectere, & inſidias.
Non dat iura Themis, non enſem Aſtræa coruſcum
Iuſta quatit, non ſtat pendula libra foro.
Non iudex, non teſtis adeſt; quem Principis ira
Imperioſa mori iuſſerit, ille reus.
Cum volet & Princeps, ſubiectos venditat auro,
Venaliſque implet plurima turba forum.
Terrarum ſordes, eiectamentaque Iberi:
Naturæ crimen, fæx, hominumque pudor.

# Pygmæi
## *ICON XVIII.*

PInge carmine perbreui
Nunc, Muſa, & tenui ſtylo,
Ora bellula, paruula,
Mundi Gorcula, ſcitula,
Gentem nec cubito parem,
Et compendia Gentium,
Pinge Popellum.
Non hic area latior,
Non hic tela ſuperbior:
Vnguis tantulus eſt ſatis:
Paruo figitur angulo
Pygmeus, breuior pede:
Curto carmine fingitur
Curta propago.
Videt Memnonis aurei
Tellus vltima Pumilos.
Ridet monſtra venuſtula;
Pro cuna puero breui
Sat ſunt exiguæ nucis,
Aut diuiſa putamina
Sorbilis oui.
Natum quæ peperit nurus,
Non eſt pignore celſior,
Prolis ſemiparens ſuæ.
Anno bis gemino parit,
Annis bis quatuor ſenex,
Eſt & ſtirps generoſior,
Tota biluſtris.

Creſcit mole puellulus;
Grandi pollice grandior.
Fit mox vir, puero minor,
Vir intra cubitum viri:
Sed grande ſcit ephimerus,
Primo & Semipuer Senex
Occidit æuo.
Pygmæo ſtudium eſt ſuum:
Eſt mens Conſcia temporis,
Eſt & ingenium ſagax,
Artes excolit inclytas,
Pacem curat, & ignea
Miſcet prælia milite
Semipedali.
Pugna eſt cum gruibus grauis,
Gruum longa volantium
Aequat colla minutulus;
Facto hinc agmine martia
Ardet colla laceſſere,
Inſtauratque ferocia
Bella quotannis.
Auratà it pharetrà grauis,
Sua ſed pharetra minor;
Spumantem alipedem premit,
Hircum nempè feroculum,
Virum barbigerum gregis:
Martem ſpirat & igneum
Pumilus audax.
Hinc ſed pennigera grue
Strepunt agmina Thracia,
Scriptos explicat ordines
Mauors aliger ætere,

 Tortis

Tortis militat vnguibus,
Colliſque aſperioribus
Turba volantum.
Sed iam claſſica murmurant
Hinc Pygméia fulmina.
Puſillà volitant manu;
Roſtro hinc belligero grues
Vrgent Myrmidonum genus,
Acri cæde valentior
Pugna caleſcit
At, cum lanigeris equis
Diſcerpti vngue per aera,
Palmares volitant Duces,
Gruum palma minacium.
Superbæ en ſpolijs canunt
Pæana altiſonum grues
Murmure rauco.
Curtum Gens animoſior
Sic æuum minuit ſuum.
Verùm eſt inclyta gloria
Pygmæo: aereas grues
Telo dum petit arduo,
Cœlo certat, & innouat
Bella Gygantum.
Siſtas hic color artifex;
Ne quæ linea longior
Monſtrum parturiat nouum;
Fuſo & carmine paucula
Creſcant corpora Pumili,
Stet intra cubitum breuis
Lingula muſæ,

ICO-

# ICONVM
# POETICARVM
*Liber Tertius*

## SIVE
## ICONES VARIÆ

## Europæ
## *ICON I.*
### Geographicè, & Hiſtoriographicè anno 1642. deſcripta.

EN tibi tergemini pater hic pars inclyta mundi
Signat & emenſis linea ducta notis.
Europam Cœlo variam, genioque locorum
Diſcretam, haud vnam gutture,& ore vides.
Tot claram trabeis illâ,ſceptriſque ſuperbam,
At multo feſſam marte, grauemque malis.
Da radium, pronàque volo te mente, docebit
Singula te monitrix Regna opulenta manus.
Hæc, quæ continuo producitur area tractu;
Italia eſt, titulis ſat radiata ſuis.
Oblongum crus ſchema refert; nam debuit æquè
Crure cothurnato regius ire decor,
Arduus hinc illi viden excubet Appenninus?
Hinc circumfuſo muniat vnda mari?

Haud ingens ſpatio eſt; laudem at metire, decuſque;
Se minuor, totò eſt illa nec Orbe minor.
Bella ſed aſſiduo feruent in pectore: tellus
Itala quæ riguo fuſa cruore vacat?
Priſco flecte aciem latiò, hic vbi fulta columnis
Aurea ſeptenis tecta Quirinus habet.
Hic regit Vrbanus vittatis faſcibus Orbem,
Nec formidato fulmine dextra caret.
Namque tenax iuris, vindexque Aſtræa latini,
Sanctior infracto in pectore ſemper adeſt.
Atque hinc libra manu immota ſtat penſilis, æquis
Lancibus; exertus fulgurat inde chalybs.
Clauſit templa diù bifrons adamantina Numen,
Senſerat & placidus claſſica nulla Tybris:
Omnia pacis erant: denſis nunc Roma maniplis
Feruet, & æratæ iam patuere fores.
Stat Sonipes, pulſatque ſolum, flammaſque ſuperbis
Naribus ardentes excutit, ore niues.
Tota ſonant armis Capitolia: Felſinus, Vmber,
Picenuſque ardens bella cruenta fremit.
Inſanus non arma furor; ius, faſque miniſtrant,
Bellaque ſunt grandi mente librata diù.
Çede Ioui latio quiſquis bella aſpera tractas;
Iam didicere ſuum mittere fulmen Apes.
Dum ſic Roma calet, ſceptri prædator Iberi,
Nititur ad Dominos cernuus ire pedes.
Sæpe preces iterat facundus, ſæpius ornat
Luſiades Præſul diuite vota manu.
Iam ſqualent auro currus, iam Myſta per Vrbem
Egregius Regis fert noua ſceptra ſui.
At mens Vrbani pendet, momentaque pendit
Rerum, nec lancem gemma eritrea grauat.

Tu-

Tu perge Hetruſcos Tyrreni ad littoris vndas;
Priſca vides ſceptris inclyta Regna nouis.
Diuitijs vrbem florentem allabitur Arnus,
Plurimus & reſono in littore vernat olor.
Hic Ferdinandum vicina haud terret Enyo,
Excubat at magno in pectore cura vigil;
Hinc conſanguineus pulſat præcordia Mauors;
At bellatrices hinc reueretur Apes.
Magnanimoque armata toga eſt, Gradiuus inermis,
Nec pugnat, ſceptrum nec ſine Marte tenet.
Heſperiam hic ſecat Eridanus, quà crine ſoluto
Heliades gemma diuite collachymant.
Forte iterum terris arſura incendia lugent
Aut cupiunt lachrymis ſiſtere bella ſuis.
Hanc amnem citra Aemiliam dixere; Togatus
Vrbes, magna ſoli & iugera Gallus habet.
Hic populis dat iura ſuis Farneſius, acri
Dux animo, dextra feruidus, ore ferox.
Regnatas Atauis Vrbanus miles in Arces
Dum ſubit, en qualis pectora Erymnis agit.
Lecta phalanx hinc inde furit, campiſque cruentis
Horrida belligero fluctuat ære ſeges.
Ipſe ardens galea, & ferro Farneſius, agmen
Luſtrat vultu, acuit vocibus, arte docet.
Iam ſe fronte petunt acies, pubeſque laceſſit
Pubem, iam ſtricto vir premit enſe virum.
Siſte Heros, vnuſque infers quid bella Quirino
Tergemino? heu quantum lilia lædet Apis.
En modo trans amnem centum complectitur vrbes,
Et centum eſt tellus diſſeminata iugis.
Pulchra repubeſcit Manto hic; licet hauſta recenti
Vulnere, Puniceo & ſanguine fumet adhuc;

At ne priſca teras belli veſtigia: perge,
Te radius docta cuſpide plura docet.
Euganei hi colles; hæc ardua mænia Brenni;
Inijcit hic Henetus ſpumea frena mari.
Adriaci Cytherea freti pulcherrima, Ponti
Regnatrix, Orbis gemma, Italumque decus,
Vrbs Regum, ſalue, libertatiſque latinæ
Relliquiæ vindex, æmula, imago, typos.
Neptunus refluis te mænibus ipſe tuetur:
Ipſe ſimul vallum, arx, miles, & excubiæ.
At tibi grandæuus melior tutela Senatus,
Cui par eloquio mens operoſa viget.
Ille togam palmis interſerit, ille triumphat
Pace domi, bello eſt inclytus ille foris.
Arbiter Auſoniæ, nunc has, nunc æquat & illas
Conſilio lances, quas tenet æqua manus.
Nunc authorato viden, vt ſtet milite, & vrbes
Anxius, & fines munijt ille ſuos?
Intonſo quin crine Leo latè omnia circum
Inſomnis ſpectat, terret, & vngue ferox,
Aenotriæ aduigilat paci, belloque, potentes
Nec ſinit hos ferro vincere, eoſque premi.
Aequoream poſtquam ſatis hic luſtraueris Vrbem,
Ad ligures reduci tramite perge lares,
Diues opum, luxuque nitens, & Perſide gazas
Hic Iani Attalicos explicat Aula ſinus.
Extentum latus hinc oriens, hinc Phæbus inaurat
Occiduus, Doris lambit & ore pedes.
Aſpicis? vrbs geminis redimita eſt mænibus, vnus
Non ſat erat tantas claudere murus opes,
Pectora loricà pretium eſt munire bilici,
Rideat vt duplex Gallica tela labor,

Intùs Mygdonio ſurgentia culmina ſaxo;
Cultaque non vno tecta Myrone vides;
Collucent puro laquearia fulua metallo,
Et ſpirat picto pariete viuà domus.
Peruigil hic curas agitat centum inclyta Patrum
Curia. ſudatas mente tuetur opes.
Ore bifrons gemino, quæ ſunt, videt illa, retrorſum,
Quæ Coram; cautam & tempora nulla latent,
Et ne Celta ferox, vincat ne Celtiber ingens,
Diuiditur gemino vultus vterque Duci.
Inſubriam premit at radius, quæ purpurat omnis;
Omnis ſanguineo decolor amne madet.
It alus hic Marathon, bella hic aſperrima, bellis
Pharſalicis ſtrepitu detonuere pari.
Vrbes cerne opibus claras; viden ilicet omnes
Meſſuit,& cultas martius enſis opes?
Militat Allobrogum ſignis Mars Inſuber atque
Cuncta ſubalpinis fratribus arma fauent.
Nobile par fratrum: rutilant huic caſſide crines
Igniuomà; latiâ purpurat ille Toga.
Scilicet vt pueri moderentur ſceptra Nepotis,
Vndique cognatæ perſtrepuere tubæ.
Gallica ſtat medijs en hoſtibus Heroina,
Ardet & in pulchro maſculus ore vigor.
Firma fronte iubet, tutatur mænia grandi
Indole: pro galeà ſat Coma diues erat.
Sidonem Tauro iactat quid fama Puellam
Iſſe per æquoreos, nec timuiſſe, ſinus?
En ſedet hæc Tauro, dextra quem frænat eburna,
Mutat nec refluo Marte procella genas.
Sed iam cerne vices: poſito certamine, fratres
Magnanimi pulchra pace dedere manus.

Priſcus amor redijt; feſtis micat ignibus aër,
Aera tonant, pubes garrula plaudit, Io.
Iunganturque nouo, æternoque vt pectora nexu,
Aurea iam torquet vincla iugalis amor
Iamque latus lateri Neptis pulcherrima iungit,
Siſtitur ad Sanctos & verecunda toros.
Exuis ardentem, Mauriti, murice lenam;
Pro Tyrio roſeus murice vultus erit.
Magna ſed auguſtis dum hæc geſtit amoribus Aula,
Adde gradum, Alpino & vertice vince niues.
Bellica tergemino diuiſa hinc Gallia tractu
Tota patet, rutilas Gallia pexa comas.
Cernis Aquitanas turritis mænibus Vrbes,
Quas ligeris torto perluit vnda pede?
Hic gelido magnus præterfluit amne Garumna,
Bellifer hunc hauſtu diuite Celta bibit.
Hic Arar argento rigat aurea lilia, tota
Nauigat hic Rhodani Gallica gaza ſinu.
Hæc animat vaſtus Ludouicus grandia membra,
Membraque ſunt magna mente minora ſatis.
Gallia non capit immenſum; viden addere auitis
Maior auis, ſceptris extera ſceptra parat?
Iam bibit auricomus flauentem Gallus Iberum,
Iamque Hiſpana ferox mænia Gallus habet.
Excutis Auſtriacæ indignatus fræna rebellis,
Et das liligero colla ſuperba iugo.
Seruitio at premeris duro; mutantur habenæ,
Stat frenum, & vexat durior ora manus.
Sed niueo ſpectandus equo, ſpectandus & haſtâ,
Ipſe ardens Cæſar Gallicus agmen agit.
En Pyrenæis ſublimior arcibus arcem
Ruſcinonen denſo milite, & enſe premit;

Bellica

Bellica turrito currit iam linea vallo,
Ipſe operi pernox, perdius ipſe ſedet.
Cumque hæc deſudat Rex propugnacula forti
Pectore, tutelæ non vacat ille ſuæ.
I præceps, ceruix iam regia venditur auro,
Et Coniurato iam cadit enſe caput.
Extera Regna petis Ludouice, at Gallia ſuetà
In tua conſpirat Sceptra, necemque manu.
I, bone: Pyrenem ſed nos iuuat ire niualem
Vltrà, & ſplendentis Regna videre Tagi.
Martia ſortitur geminatum Hiſpania nomen,
Altera quæ citra eſt, altera & vlterior.
Hinc ponto alluitur, turrita hinc montibus altis,
Arcet ſyderea tela inimica niue:
Nectitur en Regnum Regnis, vt gemma ligatur
Gemmis: Auſtriaci hoc pectora torque micant.
Gallus at Hiſpanos dum verberat ariete muros,
Segnior haud lento Celtiber enſe ſedet.
Horreſcit ceu ſylua chalybs haſtatus, vbique
Intrepido trepidant ſigna agitata Duce.
Armis tota ardet pugnax Aragonia, tota
Fulgurat ærata pube Nauarra ferox.
Martigenus nudo ſtat pectore Cantaber, Oſcus
Induit indomito durum adamante latus.
Inclytus ante alios viden vt fortiſſimus omnes,
Rex eat armipotens Aſture vectus equo?
Ventilat aura leuem chlamydem, criſtaſque rubentes,
At vibrata leuis ventilat arma manus.
Orbis centimanus, toto non vnus in Orbe
Fulminat, mille enſes, fulmina mille rotat.
Hic premit, hic premitur: marte hic luctatur aperto,
Prælia & hinc infert, inde trophæa refert.

En

En mo o quæ longo ſe porrigit vltima tellus
Tra ite,& aſſiduo lambitur Oceano.
Diuit Auſtriadum gemma eſt non vltima ſceptri,
T is, luſiadum nobilis ingenio.
Hic git, luiturque Tagi labentis in auro,
norum ſedes inclyta Vlyſpo Ducum.
Hi ouus in Regem euaſit Brigantius, altoque
tus ſolio, non ſua ſceptra regit.
s rapit inuito faſces, bellè inquit auitos,
oc facinus pulchro nomine pinxit atrox.
u nimis Imperij fulgor, nimis addita flauis,
Perſtrinxere aciem gemmea ſerta, comis.
Haud violenta diù durarunt Regna; caueto
Et ſerto.& capiti, ſceptriger ipſe, tuo.
Sed iam ſtrymoniam radius te ducit ad Arcton,
Signat & aſſiduo Regna peruſta gelu:
Hæc illa eſt niueo ſemper Germania Cælo,
Quæque nouo ſemper bellica Marte calet.
Cerne latus geminum: hæc ſupera, illa infera; flauus
Hæc Belga, hæc audax iugera Theuton arat.
Hic Aula, hic grande Auſtriados conclaue Tonantis,
Iura dat hinc Orbi Martia Roma ſuo.
Cernis, vt immenſo reuolubilis amne, ſuperbas
Subdat Romuleis faſcibus Iſter aquas?
Hic gelida Hercynijs vmbrata Boemia Syluis;
Hic caſtra immitis Norica vexat hyems.
En tibi Vindelici: hinc pellita Sileſia, duri
Hi Morauì, intonſi hi Saxones, hi Bataui.
Heu quantum exhauſit tellus Alemanna cruoris;
Belgica quot Rhenus Corpora voluit aquis.
Haud vacat annales æterni euoluere belli,
Quos ſcripſere feris enſis, & haſta notis.

Cerne Gothû rigidû, emerſumque Boryſthene, Erymnis
 Hunc agitat; torto & verberat igne latus.
Itque per Arctoas infrænis belliger oras,
 Eſt ferro, eſt grandi grandior ira face.
Fulmine ſed ſtricto pernicior Auſtriūs Ales
 Peruolat, & magnum ſignat adeſſe Iouem.
Macte animo, Cæſar, Scythicas, i, plecte phalanges:
 Regia milleno fulmine pugnat Auis.
Fulminat, egregioque ſimul ſudore madentem,
 Quàm bello frontem ventilat illa tuam.
Barbaricæ & vos relliquiæ procul ite Gothorum,
 Auſtria ſat veſtro ſanguine tela madent.
Poſtremò nos Regna vocant diuiſa Britanni,
 Sat Cælo, atque opibus nobilitata ſuis.
Olim flore pari, roſeaque hic fronte gemellæ
 Vernarunt pietas candida, & alma fides.
Gemmato hic luxu templa, auratuſque Sacerdos
 Fulſere, hic Sanctis ara Sabæa focis.
Nunc diſcerpta nouo, cultuque imbuta profano,
 Illibata colunt pectora nulla fidem.
Nulla Deo, Regique fides. Viden Aula rebellet
 Aulæ? mutuus, & flagret vtrinque furor?
Scinditur incertus Thameſis: plebs improba plebi,
 Magnanimus Regi Dux, proceresque fauent.
Expediunt celeres belli armamenta, phalanges
 Martius hinc, atque hinc Anglus, & Anglus habent.
Ipſa ſibi certat, vindex ſimul Anglia, & hoſtis;
 Vincit victa, ſuo pugnat, & enſe cadit.
Aſt interfuſo glacialis Hybernia ponto
 Non procul hinc alget, quam pia flamma tenet.
Illius illæ artes: venerabile Numen adorat,
 Pronaque Romuleo dat ſua Colla iugo.

Saxi.

Saxonis haud vnquam niueæ mendacia menti
Hæſere; vſque ſibi concolor,& fidei;
Fræna Caledonij nunc execrata Tyranni,
Vindicat intrepida iura latina manu.
Fædera manſuro iunxere adamante, manuſque
Iuratas Vrbe Vrbs, Dux Duce, virque viro.
Iamque aras pulchro, iam puluinaria ferro
Tutantur, cæptis Numina,& aſtra fauent.
Romanumque caput capite,& ceruice tuentur,
Proque animis forti pectore dant animas.
Felices Animæ, queis non veſana cupido
Regnandique fames mordet anhela latus;
Cæſariem pietas, Nemeſis iuſtiſſima dextram
Armat, Relligio pectora, corda fides.
Ite triumphales Animæ, vos gloria Cælo
Denſaque laurorum Sylua, nemuſque manent.
Interea extremum quoniam iam tangimus Orbem,
Europa vlterius nec finit ire gradum:
Et radium conde,& tabulam, interualla locorum
Sat fuit immoto tot peragraſſe pede.

# Florentis Romæ
## ICON II.

INclyta vernarent pulchro cum flore iuuentę,
Et pacem regeret fortis,& arma ſimul;
Talis erat Roma; hæc iam pubeſcentis imago
Vrbis, & hic cultus, frons,diadema,chlamys.
Cernitis? àuratum diſcriminat enſe capillum,
Pectere nec pompam verticis audet ebur.
Pro ſpeculo clypeus frontem obſeruatur, & illo
Iudice, formoſa corrigit ora manu.
Non pigmenta ardent vultu, cruor inficit hoſtis
Purpureas fuco nobiliore genas.
Mole ſua, pretioque grauis ſtat margaris aure,
Subdita quam Dominæ mittit Erythra ſuæ.
Regales humeros Tyrius qui velat amictus,
Sunt trabeæ, inſignes exuuiæque Ducum.
Vel quos victa auro variat Peluſia textus,
Aut animat doctâ barbara Memphis acu.
Gemmea ſi plantis quæris ſandalia? Regum
Sunt ſolia, aſſueto,quæ terit ipſa pede.
Aſpicis immenſum vt ſignet Sol aureus Orbem?
Scilicet hoc flauis eſt diadema comis.
Ardua pro grandi ſolio Capitolia ſurgunt,
Iura dat hinc terris imperioſa ſuis.
En circumfuſo famulatrix agmine turba
Egregium claudit quàm numeroſa latus.
Sunt famulæ victæ Gentes; Solymeius, Afer,
Cecropius, Gallus, Perſa, Canopus,Arabs.
Ipſaque quin faſces non dedignata ſuperbos,
Fortuna obſequium, ſydera, fata dicant

At

At quæ Romulidum Reginam fulcit euntem
 Dextera? quæ chlamydis ſyrmata ponè tenet?
En trabeà inſignis Conſul; Cæſarque decora
 Veſte paludatus nobile munus obit.
Cerne ſatellitium: Mars hinc mucrone Gradiuus
 Exerto, armipotens fulgurat inde Soror.
Mox grandes Animæ, Curiuſque, & Maximus implent
 Pompam omnem, & belli fulmina Scipiades.
At iuuat aurato ſi incedere vecta curuli
 Te volucris curru diuite fama vehit.
Pierio ſeu docta placent tibi guttura cantu;
 Bellica dant gratum claſſica, & æra melos.
Siue ioci teneant ſeu te ſpectacula; victus
 Orbis ſcena tibi eſt, ſuntque trophæa ioci.
Par domus Imperio, maieſtatique verendæ,
 Culta nec eſt tantis faſcibus Aula minor.
Fuluo Tecta auro laqueata, & principe cultu,
 Eſtque tibi Mundus Regia, & Aula ſimul.
Heroum genitrix, mundi arbitra, proxima Cælo,
 Fronde triumphales Vrbs redimita comas:
Syderei pars ſalue Orbis, Cœlique parergon,
 Terrarum domitrix inclyta, cura Deum
Salue iterum, ſceptris Axem quæ iungis vtrumque,
 Faſcibus & mundi diſſita membra ligas.
Te quondam preſſo Lupa nutrijt vbere; magnum
 Nunc gemina Imperium non capit Vrſa tuum.

Con-

# Conſeneſcentis Romæ.

## *ICON III.*

Reginam vt latij Romam,& compendia mundi,
Aeternumque caput cerneret Imperij;
Noricus Arctoo venit peregrinus ab Orbe;
Vicit & æthereas per iuga celſa niues.
Iam ſubit in Tybrim: huc iam circumſpectat, & illuc,
Et ſeptimgeminis itque, reditque iugis.
Matrem Orbis, Dominamque Vrbē dum quærit in Vrbe,
Nuſquam Romulidum Vrbs obuia in Vrbe fuit.
Proh rerum, inclamat, fatum reuolubile! conſtat
Heu nihil, heu celeri turbine cuncta rotant.
Quam robuſta olim, viridi quàm Roma iuuenta,
Mole ingens, grandis corpore, celſa caput.
Aere artus, fuſique auro, perque aurea membra
Ardebat volucri Martius igne vigor.
Fultaque Mygdonijs virtus Romana columnis,
Nulla æui timuit fulmina, nulla Iouis.
Nunc ſenio confecta ſuo, labentibus annis
Ceſſit,& effæto corpore prona ruit.
Maieſtas nec fronte nitet, grandeſque lacertos
Nec mouet, haud animat vis generoſa toros.
Non Romam, at Romæ exuuias, gelidumque cadauer,
Et cinerem, magnæ Matris & oſſa vides.
Quin laniata æuo, diſcerptaque vindice ferro,
Huc illuc ſparſo marmore fruſta iacent.
Non arces, non templa vides, non tecta Quirini
Aurea, nec celebri Saxa animata manu.
Fallimur? an priſca hoc ſurgunt Capitolia cliuo;
Ardua ſydereo tecta dicata Ioui?

Quo picturatum cultis laquearibus aurum?
Effecti Pario marmore,& ære Duces?
Nulla columnarum hic Series, nulla inclyta ſaxo
Atria Phidiaco, nulla vel Aula nitet.
Relliquias priſci decoris, victoris & æui
Sparſa triumphali hac rupe trophæa vides.
Occidit hic forſan, Tarpeio & pendula ſaxo,
Hinc ſe præcipitem pompa latina dedit.
At latium nunc cerne forum; hic vbi denſa Quiritum,
Sueuit par refluo feruere turba mari.
Non hic Roſtra vides facunda; haud porticus ingens
Stat circùm ſtatuis ambitioſa ſuis.
Hic tonuit grandi iam Roma diſertior ore:
Icta hic ceu torto fulmine Roma iacet.
Sed iuuat & Titi miracula cernere. Moles
Se maior, ſola ſurgit & Vrbe minor.
Ingens magnifico ſe ſe explicat area gyro,
Laxantque immenſum ſaxa operoſa ſinum.
Curuantur centeni arcus, magnumque ſuperbis
Porticibus; multo & fornice currit opus.
It moles, gradibuſque ſuis petit aera, Cœlum
Verberat & celſus ſydera terret apex.
Maius opus fama. Totum at nunc vaſta ruina eſt,
Conſenuit, tremulo vertice genua labant.
Aſpicis? hic nutant labentia ſaxa; minantur
Culmina pendenti hic prona ſupercilio.
Scinditur hic fornix, tremit hic, hic ſoluitur, arcus
Hic hiat, hic Moles Flauia tota ruit.
Attamen auguſtæ quædam hic ſtat molis imago,
Palpitat,& mutilo corpore ſpirat opus.
Sed Pompeiani quò diues pompa Theatri?
Quò, Marcelle, tuus nobilis arte labor?

Quo

Quo Scauri moles, par Cœlo, proxima & Axi
Sydereo, artifici ſtructa theatra manu?
Auro ſqualet apex, lucenti peruia vitro,
Pars media eſt, marmore & ima nitent.
Area millenis ſtant circum ſigna columnis,
Cuncta oſtrum, cuncta & gemma Erythræa notat.
Fluxit opus, fluxit ſimul vna in mole Corinthus,
Picta Nomas, diues Sinnada, culta Paros.
Nec titis Auſonij Colles qui ſerta Quirino,
Læſit voſque dies inuida dente pari.
Squalet Auentinus, priſci ſtat nominis vmbra
Ianiculo, eſt idem Pincius, eſt alius.
Cerne Palatinum; nulla hic ſunt Conſule digna
Tecta ſuo; nulla hic Pyramis aſtra petit.
Non porphyriacus, non fulget iaſpide Cliuus
Cæſareus, nulla hic Regia diues opum.
Quà ſurgit facilis ſublimi Cœlius vrbe,
I, quære aurati grande Neronis opus.
Vndique fulua Domus vomit aurum, illa ſaque puro
Auro ardet, flamma & diuite tota micat.
Structa Orbis cenſu Conclauia, & æmula Solis
Luce ſua, occidua iam ſenuere die.
Te vocat & Circus, volucres vbi Roma quadrigas
Spectat, & Elæo in puluere ſumat equus.
Quo plauſu biiuges acti? dum verbere torto
Vrit anhelantum dextera prona latus.
Quò ſtructa artifici, lybicoque ſedilia luxu?
Feruida quò rapidis meta petita rotis?
Si iuuat & clauſo ſpumantem flumine Tybrim
Cernere, & vndoſo Marte calere rates:
Dic age, quo roſtris certantia roſtra, refuſo
Gurgite? quo ficto reflua pugna mari?

Quære hic veliuo lis Mauortia ſtagna carinis,
Amplaque belligero clauſtra dicata Tybri.
Balnea quid memorem? auratis vbi feruida labris
Vnda abit, & concha diuite iactat opes.
Quid memorem aerio ſuſpenſos fornice riuos?
Et fractas niueo in marmore fontis aquas?
Quid fora, conſtrataſque vias, laqueataque templa,
Sculptaque gemmatis Numina celſa tholis?
Nempe manent ſua fata Vrbes: manet inclyta Regna
Funus atrox, Regum & tecta ſuperba cadunt.
Vixit Roma diu, fato ſed ceſſit acerbo,
Occupat, & magnus iugera magna cinis,
Ducere at exequias Romæ, lachrymaque tepenti
Inferias cineri ſoluere, par fuerit.
Pro tumulo ingenti ſtent fractis iuncta theatris
Amphitheatra, Vrna & Roma ſit ipſa ſibi.
Magne tuos arcus da Conſtantine ſepulcro,
Dent Circi exeſo marmore Pyramidas.
Stent circum muta Heroum ſimulacra, ruinas
Aeneadum vaſtas, & ſua damna gemant.
Victrices pone & trabeas, latoque ſuperbas
Clauo, palmata & Syrmata Buſta ſuper.
Prætextis iunge & phaleras, faſceſque verendos,
Pone togam pictam murice, pone ſagum
Pro facibus rutilent æterna incendia Veſtæ,
Garrula ſit tumulo præfica; fama loquax.
Septeni Colles Calathis ceu grandibus Vrnæ
Candida dent roſeis mixta liguſtra crocis.
Auctus aquis Tybris, largo miſerabilis amne,
Illachrymet mæſto gurgite, & oſſa riget.
Non auro, at ſaxis præruptis ſcribe decoras
Palmas, & terris vecta trophæa ſuis.

Aſt

Aſt ego, qui latios veneram inſpecturus honores,
  Fultaque Romuleis tecta Quirina iugis.
Inſpexi funus, Romanaque buſta, ſinuque
  Qui dare non potui lilia, do lachrymas.
Inſpexiſſe tamen pretioſa cadauera Romæ,
  Inclyta ſat merces eſt, pretiumque viæ.

# Romanæ Aulæ.

## *ICON IV.*

AVlam qui latiam magna petis indole verno
  Flore æui,& prima pube virente gena:
Quam riſere tuis properantia,ſydera votis,
  Quæ tam felici te poſuere loco.
Cor Roma Auſoniæ,Orbis apex,eademque medulla eſt;
  Aulaque flos pulchri,pulchraque vena boni.
Fida ſuas iunxere manus hic Numina:Virtus,
  Fortuna, alterno & munere nexa vides.
Fortunæ exuuijs virtus it diues in Aula,
  Diuite virtutis vellere & illa nitet.
Quam benè Saturni auratum traducitur æuum
  Inter inauratæ tecta ſuperba domus.
Purpura & hic vernat meriti color,inclyta ſacros
  Quæ ſignat Reges oſtro,habituque facit.
Hic mens intacto caneſcit vertice, & vſu
  Rerum fit viridi in pectore cura ſenex.
Hic patet ingenijs florentibus area, laudes
  Inuenit hic meritas ars,pretiumque labor.
Exculti hic bellè mores, par moribus ore
  Aureus it ſermo, terſaque lingua beat.
Hic alit & magnas animas par gloria; plaudit
  Principis hic comis frons, procerumque fauor.
Cerne Tybrim: refluo viden vt ſe ſe implicat amne;
  Tortus & ambiguas, itque,reditque vias?
Nimirum latiam ne deſerat aulicus Aulam,
  Ipſa ſibi nectit tortilis vnda moras.

# Aulicorum.

## *ICON V.*

CRedula Romulidum veſtigia figis in Aula,
Et tibi vis latio Sole calere dies
Inclyta te nimium ſpecies illuſit,& auri
Fulgor,& Attalicus tecta per ampla nitor.
Non aulam, at varios Aulæ circumſpice mores:
Heu quæ ſub picto murice Roma latet
Spes facit ingentes animos in limine, at intus
Squallida ſplendenti ſyrmate monſtra vides.
Liuor adeſt, faciliſque dolus; ſtant ore bilingui
Incerti vultus, ingenuumque nihil.
Fulgurat Aula breui riſu,volucrique ſerenat
Fronte animum; vitrea eſt gratia, fictus amor.
Talus cuncta regit,refugâ fortunâ; ratumque eſt,
Quod luſere leui Numina cæca manu.
Nuda alget virtus, diues ſtat pariete cultus:
Verba nitent, niueo nulla ſed ore fides.
Tempora metitur nutus: penna alite ſomnus
Vt venit, vt fugit: eſt pectore nulla quies.
Nec ſua ſunt tenui menſæ data tempora: raptim
Fercula, furtiuâ & pocula ſumpta manu.
Corde vigil pauido timor excubat, aſperat ora
Mæror,& obducto cura ſupercilio.
Hi mores Aulæ, geniuſque: hoc murmurat ore,
Indicat hoc refluo turbidus amne Tybris.
Tybris Romanam aſſiduus terit aulicus Aulam;
En nunquam vt pura fronte, hilariſque fluit.

# Malæ Conſcientiæ.

## *ICON. VI.*

MArmaricus quis corda Leo? quæ Caſpia pectus
Sanguineo Tigris lancinat vngue meum?
Infelix, mihi ſum ipſe Leo, mihi Parthica Tigris
Conſcia me lacerat mens, animuſque memor.
Corde latet facinus, menti tamen vſque recurſat;
Ceu pellucenti reddita imago vitro.
Percurrit ſpecies ſenſus; tortiſque flagellis
Vrit, & exterret deteriore metu.
Adblandita prius culpa eſt; nunc improba latrat;
Increpat, aſſiduo & pectora dente petit,
Sæpè repercuſſis incudibus intonat intus,
Sæpius ingeminat verbera anhela manus.
Nuſquam nulla quies: heu cura reciprocat æſtum;
Mæandroque fluit par, refluitque ſinu.
Irriget Oebalio ſomnus ſub murice membra,
Obiecto ſomnum crimine larua fugat.
Nectareà ſtet menſa dape; quæ corda remordet,
Inficit ambroſias vipera ſæua dapes.
Pectat ebur, numeriſq; canat Thrax Orpheus, æque hinc
Pectus acuta ferit vox, grauis indè premit,
Non picturati pænam ſpectacula veris,
Non roſa, non ſyluæ textilis vmbra leuant.
Non fons illimis, vitreo non flumina lapſu;
Reſpuit illecebras cura ſuperba leues.
Quin inflexa diem dicit, rigidumque tribunal
Ante ſuum me mens conſcia ſtare iubet,
Eſt accuſatrix, iudex, rea, Curia, teſtis,
Ipſa ſui vindex, lictor, & ipſa forum.

Eſt Phalaris, taurus, forceps, ſaxum, vngula, culter,
Virga, chalybs, pecten, Crux, rota, flamma, Leo,
Torquet, diſcruciat, diſcerpit, lancinat, vrit,
Inciſimque ſecat corda, animumque necat.
Quæ me ſciſſa mari tellus diſcriminet à me?
Quòque ego non fuerim penna beata vehat?
Me ſine pace fruar placidus, quem terret imago
Dira mei, & mecum me vetat eſſe ſimul.
Irrita vota tamen: lateri illætabile crimen
Semper adeſt, mihi ſum ſemper, & ipſe comes;
Heu nimis Infelix, & inextricabile fatum:
Nec mecum poſſum viuere, nec ſine me.

Grana-

# Granadillæ.

## *ICON VII.*

FLos quibus ingenij vernat, florentque Camenæ,
Indica certatim te, Granadilla, canant.
Flos Nazareni ſimulacrum floris, Eoum
Munus, & occidui florea imago Dei.
Sanguine flos ſcriptus Regum, riſuſque doloris,
Saucia quem pietas preſſit, & erubuit.
Forte ſui miſerata necem Natura Parentis,
Aſſidua vt memori in pectore imago foret,
Puniceo teneras animauit ſtamine telas,
Et ſibi florenti funera pinxit acu.
Triſtia ſeu ſtudio vt legeret monumenta perenni,
Scripſit odorato Numina læſa libro.
Forte etiam placuit facunda tragædia: cernis?
Flos actor mæſtum ſyrma, habitumque gerit.
Pulchram ſcenam aperit riſu Granadilla; doletque,
Et vernà exhilarat dira theatra nece.
Hinc lugent, ridentque ſimul proſcenia, & idem
Exaretque Deus flore, viretque ſimul.
Nempè hæc pulchra tenent hic te ſpectacula, Numen
Aeternum bellè floret, & emoritur.
Morſque repubeſcit vernanti in flore, ſed ipſe
Cernitur efficſo flos periſſe ſinu.
Decolor in roſeo ſic pallet flore venuſtas,
Atque inter luctus forma, decorque nitent.
Duraque vernat hyems, hyemat ver dulce, virenti
Ceſpite luxuriant funera, flagra, chalybs.
Implicat en pulchrè florentes ſpina Capillos,
Nec lædit teneras florea ſpina Comas.

Fla-

Flagra inſculpta vides, molli ſed verbere cæſos
  Inficiunt picto murice flagra ſinus.
Aerea quæ pectus transfixit lancea, floret;
  Pectore quique latex defluit, ille rigat.
Plexilis & funis vernat, velletque retorto
  Ambroſias iterum flore ligare manus.
Mollijt intrepidam pietas generoſa columnam,
  Induit & florem, quæ modò marmor erat.
Quid moror? inſperſo viden vt chlamys inclyta cocco
  Purpurat? & dulci pocula felle madent?
Sanguinei inſculptis i nunc, Granadilla, trophæis
  Numinis; i pœnis ambitioſa tuis.
I, viue exanimis, multoque i vulnere læta,
  I, nam flore tuo ſaucia, dulce peris.
Diſce cruentati aſſiduâ tu ſtigmata mente
  Ferre Dei, inque pio vulnera fige ſinu.
Flos præit, egregiuſque docet te magna, docentem
  Et ſequere, & Domini à vulnere diſce mori.

# Ludi Trudicularis. vulgò, Trucco
## *ICON VIII.*
### Ad amicum Aulicum:

FAlleret vt lentas horas feriata Iuuentus,
Et tereret placidis otia pulchra iocis.
Pars cliuum ſubit vmbriferum, quà laurus opacat
Fronde iubar, leuis & ventilat aura diem.
Facundum pars tangit ebur; pars flumine ſacro
Terſa, canit Graijs carmina Hetruſca modis.
Pars conclaue petit. ſtat ficto hic area bello,
Atque laborato è robore fictus agon.
Vndique prætexunt obiecta repagula caſtrum,
Obuia ſed multa hinc oſtia, & inde patent.
Hæ ludi leges: Pontem ire, redire recurrum,
Atque pila Regem tangere inocciduum.
Et caue, ne reſono te verberet æmula flictu
Sphærula, & extemplò quà data porta ruas.
Hìc igitur Pubes in prælia mutua feruet;
Factoque hinc, atque hinc agmine bella mouet;
Qui primus ſubeat, qui bellica caſtra ſecundus,
Sors cenſet, digitis cum micuere manus.
Tornatum iam currit ebur, ſubitumque nigranti
Pulſum ebeno, niueo tramite pergit iter.
Nec mora; mox orbis reuolubilis emicat alter,
Ponticulumque pari fronte, fugaque petit.
Iamque ambo aduerſo ſtant ore, pilæque minatur
Acta pila: illa timet vulnus, & illa timet.
Fit gradus: & pontem facilis ſubit altera, ſtatque
Cominus, vt redeat liberiore gradu,

Aemula

Aemula nec patitur, ſtantemque in limine pulſu
Verbetat, eque loco pellitur illa ſuo.
Sed redit, atque viam molitur cautior, vltro it,
Sed latet, & niueum munit ab hoſte latus.
Hac arte intortum pontem eluctata, volucri
Nititur in Regem deproperare fuga.
Hic opus, hic labor eſt. Regem tetigiſſe laboris
Eſt pretium. Illa cupit tangere, & illa vetat.
Certatur. non arma iuuant, validique lacerti,
Ars iuuat. & facilis dexteritate manus.
Ergò ſemel, pontemque iterum quæ tranſijt, ictu
Artifici Regem ſphærula eburna petit.
Hoſtis at inſurgit, torquetque volubile vulnus,
Nec ferit, infecta & re, procul ipſa volat.
Intacta it propior pila; ſed non altera ſegnis,
Iam iam tangentem pellere & arte ſtudet.
Metitur viſu alterno interualla, oculique
Collimant, neruos tendit, & ingenium,
Mutat ſæpe locum, ictuſque hic ſignatur, & ille,
Pendet. & incerto verbere ſæpe manus.
Nunc ſtrictim libare hoſtem, nunc vulnere pleno
Pertentat, placet hic iactus, & ille placet.
Tandem agilis, teretemque graui pulſu excutit orbem,
Sed carptim pila dum tangitur it propior.
Ipſaque dum niueum ceu fulmen peruolat, hæret
Oſtiolo, & prono è limine pene ruit
Iam Regem victrix libat, leuiterque rotundum
Vrget ebur ſurdo verbere lenta manus.
Sed nimis ah trepidat, curto pila concita pulſu eſt,
Atque ſuum damnat dextera pigra metum.
Aemula & exultat; ſpes anxia ſuſcitat artem,
Vincere, ait, pulchrè, vel perijſſe iuuet.

Expe&

Expedit arma: ſed en breuior locus impedit ictum;
Frangitur & modico vis generoſa loco.
Vincitur ingenio breuis area: verſa rependit
Cauda locum: ſignat, verberat, vrget, agit.
Ilicet excuſſus volat orbis tortilis, Orbem
Et ferit, & facto murmure plaudit, Io.
Ille loco cedit, vento at pernicior ipſe
Fertur in obſtantes, præcipitatque fores.
Sic tragico recidit plauſu. Diſce, Aulice, ſæpe
Pellere qui tentas Aulicum, & ipſe ruis.

Hero-

# Herodiadis filiæ, ſiue chorearum.

## *ICON IX.*

CLauſerat extremis iam Rex conuiuia menſis,
 Puraque deſierat fundere vina calix.
Blandula cum medium tenuit conclaue Puella,
 Par Matri, choreas plaudere docta leues.
Aurea vitta Comas religat, ſed tortilis arte
 Hinc, atque hinc lapſu diuite crinis abit.
Vultu fuſa charis, tranquilla it fronte venuſtas,
 Colla per, & vernant pulchra per ora niues.
Pictus acu phrygia, tenuiſque exundat amictus,
 Et fluit ad roſeos textilis aura pedes.
Torque micat pectus, ſpiſſoque adamante coruſcum
 Fulgurat, & cinctum plurima gemma notat.
Ergo agilis, ſcenam qua grandior explicat aula,
 Inuolat arguto culta puella pede.
Facunduſque præit fidicen, cui penſile collo
 Barbiton electro è diuite dulce ſonat.
Primùm fronte graui Regem, facilique ſalutat
 Poplite, ſtat ſaſtu mixtus in ore lepor.
Explicat hinc greſſus: cytharæ iam certat eburnæ,
 Illa modos variat pollice, & illa pede.
It leuis, ambiguis ſignat veſtigia plantis,
 Vix premit innocuo marmora picta gradu.
Et properat, ſimulatque moras, lenta ocyor, eſtque
 Pulchrè motus iners, irrequieta quies.
Sæpe infert, docilique refert huc ſæpius illuc
 Arte gradum; ſimul hinc it, ſimul inde redit
Lymphatuſque, vaguſque viam premit hanc, premit illam;
 Certa lege errans pes, dubiaque fuga,

Hunc

Nunc choreas rotat, inflectitque volubilis artus,
Ductile & artifici turbine corpus agit.
Par Veneri aſtriferæ, rutilo cum blanda rotatu.
Voluitur, atque Orbem turbinat ipſa ſuum.
Nunc ſalit, & toto ſe librat corpore, præceps
Mox cadit, aſſultu mox reſilitque nouo.
Cumque ſalit tremulo pede ludit crebra, micatque,
Vibrat & innumeris planta operoſa modis.
Mox ſinuoſa orbes repetit, tortoque reflexos
Gaudet Mæandro ſæpe iterare choros.
Confunditque oculos: admiratumque theatrum
Implicat implicitis ingenioſa rotis.
Aeſtuat interea, ſudorque argenteus ora
Perluit, & vultus gratior inde rubet.
Sollicitatque labor facilis iam pectus anhelum,
Et iam ſiſtit iter ſinexile blanda quies.
Rex plaudit, plauſere Duces, per & atria latè
Multiuagus feſto murmure plauſus abit.
At quæ viſa prius ceu ludere tortilis anguis,
Heu vomuit placido dira venena ſinu.
Nempe tuam mox, Diue, necem petit illa, ſuperbis
Saltibus heu nimium præmia celſa petit.
Exilit è ſacro caput inſuperabile collo,
Præciſus Choreas pulchrè imitatur Apex.
Illa ſalit, Tu, Diue, ſalis; pretiumque choreis
Illa caput, Capiti tu noua ſerta refers.

Equi

# Equi à Nealce pictore deſcripti.

## *ICON X.*

PIngat vt alipedem celeberrimus arte Nealces,
Excitat artifices mens operoſa manus.
Iam pictus ſpirat ſonipes,iamque explicat artus,
Iam calet in magnis vis animoſa toris.
It niueus per membra color,maculiſque decoris
Multa leues armos diſcolor vmbra notat.
Flectitur,& pompà ceruix generoſa ſuperbit,
Audax colla ſuper ſurgit anhela caput.
Collo crinis abit,volucriſque,& pendulus errat:
Ludit & intonſis mobilis aura iubis.
Aure breuis, terga amplus,caſtigataque preſſus
Ilia, prægrandis pectore, crura leuis.
Magnanimo tabula eſt breuis area: it,exilit extra,
Iamque ſuo in volucrem fertur ab igne fugam.
Ardeſcitque, tremitque artus, viden vngula pulſet
Fortis humum, ſtrepitu plaudat,& ipſe ſibi?
Iamque exactus equus: deerant frena aurea,& ore
Quæ cadere è niueo ſpuma cruenta ſolet.
Naribus & fumus deerat reuolutus anhelis,
Quæque ardens fumo mixta fauilla volat.
Hinc pigmenta diu verſat, miſcetque; per omnes
Fixa operi it curas irrequieta manus.
Aggreditur,deletque; iterat,renouatque viciſſim
Impigra. ſed rudis eſt dextera,inerſque labor.
Audet,deſperat, victa eſt patientia tandem,
Inque ſuum inuehitur nobile pictor opus.
Quæque erat immixto,fuſimque imbuta colore
Spongia, in alipedis protinus ora iacit,

Credite! quæ vigili fruſtra ſudauerat arte,
 Iratus cæca perficit ille manu.
En fumat, tumidiſque ardens en naribus efflat
 Flammam equus, en aurum ſpumeus ore vorat.
Ingenium erubuit, ſtupet ars, labor improbus hæret,
 Stat victa attonito vertice cura ſolers.
Finem operi fortuna dedit, ſubituſque decoram
 Formam ictus, pretium caſus, & ira decus.
At qui feruet equus natiuo martius igne,
 Par erat, vt volucri pingeret igne furor.

Leo-

# Leonis, Androdi beneficio incolumis.

## *ICON XI.*

FOrtè pererrabat lybicis Androdus arenis,
Quá fluit irriguis Bragada lentus aquis.
Cum videt ingentem prona ceruice Leonem,
Dilapſa auguſta mole, iacere ſolo.
Non ſua villoſis maieſtas fulget in armis,
Nullaque vis ardet, luxuriatque toris.
Non terror vultu, non flammea lumina fulgur
Accendit rutilum, vaſta nec ora tonant.
Cæſaries inhonora cadit ceruicibus, olim
Pompa paludati Principis, atque decus.
Vngue nec armatur falcato, nempè ſecures
Rex nemorum, faſces liquerat atque ſuos.
Illa & crinitæ prolixa ſuperbia caudæ
Fluxerat, haud iram verberat illa trucem.
Inclyta ſic poſito regali bellua faſtu,
Fuluas fluxa comas; non erat ille Leo.
Scilicet it ſyluis ſæuo dum crine iubatus,
Atque errabundo peruolat ille gradu;
Aſpera ſe cuſpis curenti ſubdit, & acri
Vulnere traiecit ſpina cruenta pedem:
Herculeæ ſic illa feræ procumbit humi vis,
Et dolet, & vultu ſupplice poſcit opem.
Vt vidit Androdus vulnus penetrabile. Regem
Quæque Cleonæum ſpicula ſæua domant;
It bonus, attactu mulcet, mora nulla, Leonem,
Telaque traiecto vellit acutá pede.

Tùm niueus tergit byſſus,religatque,fouetque:
  Peonio & functus munere,mox abijt.
Cerne vices, pretiumque boni memorabile facti,
  Cerne,& magnanimæ pectora pulchra feræ.
Hic leo pòſt vectus Dominam peregrinus ad Vrbem,
  Impiger aſſidua cæde theatra terit.
Olim ſyluarum,caueæ nunc terror.& ampla
  Gaudet Romulidas exhilarare nece.
Corpora diſcerpit,populo plaudente; latinos
  Vindicat & lictor Punicus ore reos.
Ergò hæc Androdum tangit ſors aſperá,& illum
  Damnat Marmaricis Cæſaris ira feris.
Ilicet emiſſus caueà Leo Pænus, arenam
  Flammeus en diro territat ore pugil.
Qui ſuprema tenet,curui quique ima theatri,
  Vt videt,vt gelidus concutit oſſa pauor
Mole ingens, grandemque agitat vis ignea molem,
  Fuſa per horrificos imperioſa toros.
Ardent fronte minæ,maieſtatemque ſuperbam
  Aſperat immani toruus in ore rigor.
Iactant colla Comas dirè, phalerataque ceruix
  Horret, in arrectis feruet & ira iubis.
Lux oculis vibrat, rutilus furor emicat inde,
  Ceu nubes torto fulmine ſciſſa micat.
Quæ fax dira intùs lateat,quæ pectore fornax,
  Euibrata oculis denſa fauilla docet.
Aſpicis?haud vno munitur & enſe, quot vngues,
  Tot ſunt ceu forti tela retorta manu.
Vtque Iouem nemorum ſe ſe indicet, ore Tonantem
  Exprimit,& grandi voce theatra ſonant.
Sponte ſua violentum animal; tamen igneus iram
  Extimulat,ſæua & cauda flagellat adhuc.

Inci-

Incitat & ſecreta fames: hinc acrius ardet,
Hinc & ieiuno percitus ore furit.
Exilit ergò ſuis vt clathris liber ahenis,
Et ſe ſe medio vidit agone Leo:
Nulla mora: haud ſpectat populoſum hinc inde theatrum
Fronte graui, haud lento ſe mouet ira gradu,
Quà videt Androdum, Phlegræi fulminis alis
Ocyor, horrenti cernitur ire coma.
Iam prenſat, propiuſque furor bacchatur, & ore
Dilaniat, vaſto, & gutture rictus hiat.
Cum ſubitò attonitus ſuſpenſis vnguibus hæret,
Viſus & exuto ſtare leone Leo.
Fronte abiere minæ, non ardent colla ſuperba,
Crinibus horrificis ſat metuenda ſuis.
Indomitum ſubijt facilis clementia pectus,
Fulminea & ſubitus mollijt ora lepor.
Acceſſitque alius tremula ad veſtigia; pronus
Viſus ad Androdi mox cecidiſſe pedes.
Tùm ludit, molli & blanditur verbere caudæ,
Flammiger & factus blanda catella leo eſt.
Nempè ſubit lybicum vulnus, pectuſque momordit
Spina eadem, & lacero tela reuulſa pede.
Hinc medicam generoſus opem, dignaſque merenti
Perſoluit grates ſplendidiore vice.
Nam tacitas inter ſyluas, quæ contulit ille;
Pulchrius hic inter plena theatra refert.
Interea it Cuneis ſtupor ingens, Romaque pendet
Miratrix, oculis abrogat illa fidem.
Magnanimum Phrygij ingenium mox docta Leonis,
Hæc plebs, vnanimi hæc murmure dixit Eques.
Sydereis radiare iubis hæc Bellua Cælo.
Debuit, hic aſtris, hic leo dignus erat.

# Luſciniæ.

## ICON XII.

IVnge lyras,numeroſque omnes, Dircæaque plectra,
Et quæ Threijcio pollice fila ſonant.
Pieridum iunge & lituos,& Apollinis aurei
Dulce quod ex humero diuite,pendet ebur.
Flebilis extincta, heu, ſimul hæc tenet vrna, ſilentque;
Vna ſuis perijt cum Philomela modis.
Mille ſuo cytharas animarat gutture; mille
Exanimat cytharas funere,& illa ſuo.
Deliciæ quondam,dominique arguta voluptas,
Par Phœbo,Syren blandula, Muſa domus.
Docta grauem lenire animum,cum voce volucri
Itque reditque omnes irrequieta ſonos.
Haud numeri deſunt operoſo in gutture, multa eſt,
Nuſquam eadem,ſimilis nec Philomela ſibi.
Nunc imitata rudem modulatur ſegnior,atque
It facilis lento murmure ab ore ſonus.
Nunc volucres meditata modos facundior,arte
Sollicitat celeri, deproperatque melos.
Deprimit,infuſcat,ſecumque remurmurat intus
Sepiùs,& ſurdo gutture muta canit.
Mox tacitas exoſa fides cythariſtria,pectus
Vrget,& alternat metra ſonora magis.
Ipſa ſibi certat, ſequiturque fugitque canoro
Tramite, ſiue fugat; garrula,ſiue fugit.
Explicat,& ſubito reuolubilis implicat ora,
Faucibus & refluis tortile carmen abit.
Multiplicis tandem glomerat diſcrimina vocis,
Dædala,& eſt tremulo in gutture nulla quies.

Perque

Perque fugas reduces,perque interualla,per ima,
Per media armonicum ductile feruet opus.
Flexiloqua intorquet vocem,mox pendula librat,
Dura premit,frangit mollis,acuta vibrat.
Conciſamque ſimul nectit, copulatque retortam,
Sublimem tenuat blandè, acuitque grauem.
Continuat,clarat,miſcet,diſcriminat,auget,
Diſtinguit,variat,turbinat,imminuit.
Eſtque ſimul vox interciſa, plicatilis,æqua,
Lenis,preſſa,vibrans,aſpera,plena,grauis.
Quid moror? ah perijt,tenuemque migrauit in auram,
Cuiusſæpe breui eſt aura ligata ſono.
Dum tàm dulce canit, cadit heu Philomela,morari
Quæ potuit ventos, funera non potuit.
Facundo at cineri ſtet nobilis vrna; ſuperque
Sribe auro: Decima hic Muſa ſepulta ſilet.

## Pauonis.

### *ICON XIII.*

SIſte gradum: aduerſo viden vt Iunonia Sole
  Vere ſuo florens, picta ſuperbit auis?
Nulla paludato certent conchylia dorſo,
  Talia non vnquam Belgica luſit acus.
Non quæ multicolor Thaumantias aera pingit,
  Sic variat pulchros ambitioſa ſinus.
Eſt pennata Iris formoſior Iride, pandit
  Pulchrius ardentes gemmeus Ales opes;
Ponè iacet caudæ diues ſeu pompa ſolutæ,
  Ditior eſt phrygio ſyrmate cauda iacens.
Plumaque floricomum latè ſeu circinat orbem,
  Orbem milleno ſydere pluma rotat.
Luteolis vernant violaria mixta hyacinthis,
  Vnaque non vno penna colore rubet.
Purpurat hic murex, flauum hic interuiret aurum,
  Iunctaque chryſolyto pectora Iaſpis habet,
Seu feriat Phæbus radijs obſtantibus; oſtro
  Crinito, & roſea luce cruentat auem.
Si placet vmbra; color bellè fuſcatur, & ipſa
  Vmbra micat gemmis ſat radiata ſuis
Concolor ipſa ſuo ſic eſt mox diſcolor auro,
  Verſicolor, quoties colla ſuperba mouet.
Sæpe alia, eſt eadem ſemper tamen altera nunquam,
  Quando alia eſt, ſimilis, diſſimiliſque ſui.
Quam benè mille oculis fulgent ſpectacula caudæ,
  Multaque per pennas picta pupilla micat.
An vult mille oculis Auis hæc formoſa videri?
  An quia quæ rapuit lumina, cauda tenet?

Diui-

Diuitis an Volucris formæque, opibuſque tuendis
  Non erat immenſis vna pupilla ſatis?
An niueæ cuſtos olim, rectorque Iuuencæ
  Argus, nunc vigili fronte tuetur Auem?
Aemulus at Cælo Pauo eſt: Sol aureus, ardens
  Lunaque ſtant oculis; ſydera Cauda tenet,

# Catellæ.

## *ICON XIV.*

## Ad Giſmundum Thadæum Epiſc. Caiacen.

ES niue candidior ſcythica, ſed diſcolor auris
Pendula flaueſcit, bella catella, tibi.
Ardet villoſa duplex in fronte pyropus,
Nare ſed in pulchra nigricat ipſa Venus.
Dulce latras, cauda blandiris, & oſcula ſæpè
Libas, innocuo ſæpius ore feris.
Et ſalis, & curris pernix, pictumque cubile
Iſque, rediſque, terens irrequieta domum.
Tùm bellè ludis, centumque edocta per artes,
Spectantum exhilaras luſibus ora tuis.
Delicium, Giſmunde, tuum, Curæque leuamen,
Et pro mille iocis, vna catella tibi eſt
Iam propè lucentem Erigonem, quà Sirius ardet,
Altera flagrabit cum Procyone canis.
Obſequio nam clara tuo, quæ parua catella eſt,
Aurea mox inter ſydera ſydus erit.

Ma-

# Magnæ Fortunæ Ædificij.

## *ICON XV.*

## In illud: Vnuſquiſque eſt faber fortunæ ſuæ.

QVi ſtruere ingenti fortunam culmine tentas,
Arduus hac docta fingitur arte labor.
Materiam virtus operi, claræque miniſtrent
Artes, & vigili cura ſupercilio.
Continuoque ſolers volucri prudentia mente
Signet quæque ſuo ſaxa locanda ſitu.
Illa tholo, celſæ hæc fronti, moliſque ſuperbæ
Hæc imis, medijs deſtinet illa locis.
Relligio elatos ceu iuſta decempeda muros
Deſcribat, totum & ductile currat opus.
Pura rudimentum mens, & fundamina ponat,
Aequi certus amor, pulchri animuſque tenax.
Suſtineant decorum mox grandia tecta columnæ,
Quas Nomas haud ſculpat, nec pretioſa Paros;
Sed labor, & merita ingenio, ſtudioque perenni
Parta, Caryſtæo marmore firma magis.
Maſcula quæ duris gaudet Patientia, forti
Cædat, & exæquet Saxa operoſa manu.
Sit qui verſet, agat cæmenta tenacia, rerum
Vſus, & aſſiduo Curia trita pede.
Tùm plauſus, aulæque fauor, quæſitaque iuſto
Laus hominum celſum culmen ad aſtra ferant,
At modus in rebus, recti, & contenta Cupido
Expediat rectas, expoliatque trabes,

Pendulaque e cedro vt iactes laquearia, corda
Incorrupta nimis diuite ſorte geras.
Egregiæ tandem mentis Sapientia, & ingens
Conſilium, tecta, & culmina ſumma locent.
Vtque operi frontem, faciemque emblemata pingant,
Atriaque inſculpto marmore, & ære micent;
Munifico regnet virtus in pectore, ſitque
Comis lingua, hilaris frons, facilíſque manus.
Inclyta ſic ſtruitur fortuna perennior ære,
Nec timet irati tela triſulca Iouis.
Non rota præcipitem verſat reuolubilis vnquam,
Lubrica nec fluxo nititur illa gradu.
Sic molire tuam: peragat ſumma, infima virtus,
Sortis nanque ſua eſt indole quiſque faber.

# Horologij Viri Principis in Calua emortuali ex gemma.

## *ICON XVI.*

QVæ gemmâ fulget turpis caluaria,& auro,
Mole ſub exiguâ nobile claudit opus.
Fronte refert gelidæ mortis ſimulacra,ſed intus
Viuitque,&.vitæ tempora certa docet.
Viuere teſtatur pulſu, verſatilis horas
Cum moles agitat irrequieta leues.
Orbibus implicitum ſtamen dat cuncta moueri,
Aureus & funis,qui ligat,ille mouet.
Namque volubilibus dum ſpiris implicat axem,
Sollicitat volucres axis & ipſe rotas.
Penſilis æquato ſtat pondere libra ſupernè,
Orbibus illa fugas præcipit,illa moras.
Excutit hinc moles horas,quas lingula lambit
Aurea, gemmata & cuſpide certa notat.
Cur metitur, ais, curſum reuolubilis æui.
Diuidit & vitæ mortua calua fugam?
Diſcite,mors vita vt diſtent:& qualibet hora
Diſcite,Supremum claudere poſſe diem.
Deproperare rota currenti diſcite mortem;
Cumque putas vitam currere,fata premunt.
Tandem mors reſonat dum tempora fluxa,monet te,
Semper vt in memori pectore fata geras.

Pſit-

## Pſittaci.

## *ICON XVII.*

### Ad Maximum.

VErſicolor vectus peregrinis Pſittacus oris,
Quàm benè ſcit latijs reddere verba modis.
Sortitus facundam animam, pectuſque diſertum,
En tibi Mercurius penniger inter aues.
Purpureo rutilant pretioſa Corallia roſtro,
Et pretium verbis garrula gemma facit.
Auratà hinc ludens caueà pendentia ab ore
Ora virûm lingua diuite, & arte tenet.
Barbarus eloquitur bellè, meditataque dictat
Verba rudis; neſcit, quas iacit ore notas.
Argutat ſciolus, ſalibus conuicia miſcet
Innocuus, pictus ſcurra, iocuſque fori.
Maxime, quàm meritò pennato hoc Rhetore gaudes;
Tota tibi reſonat Roma diſerta domi.
Dædala nam facili loquitur dum lingula roſtro,
Quis neget argutè Roſtra latina loqui?

TVſculana Aldobrandinorum Prætoria diſcribere mihi conſilium erat; inuitabatque repetita frequenter pulcherrima loci facies, dum in eo ſeceſſu forte agerem. Verùm cum in amæniſſimi ingenij ſyluulas, atque Endecaſyllabos caſu indiciſſem; agnoui, vernare iam regios eos hortos à prænobili calamo. Abſtinui. Interim allatæ mihi Roma Franciſci Mariæ del Monaco, Viri ex noſtris longè eruditiſſimi, litteræ fuere, quæ Aldobrandinas eas delicias, non quidem poeticè, ſed floridiſſima, ac peregrina quadam dictione, quæ proximè ad poeſeos feſtiuitatem, granditatemque accederet, delineabant. Iconem hanc, per commodum duxi, hic appingere: vt mutato interim poetico ſchemate, oblectet varietas; ac ſpecimen habeat lector Viri, in hac latinæ eloquentiæ exercitatione planè ſummi. Habes & meam reſponſionem. Appoſita nempe eſt excellenti picturæ ſua vmbra.

# Ioſepho Silos Cl: Regul.

*Franciſcus Maria del Monaco*
*Cl. Reg. S. D.*

P*Lanè, & ego Tuſculana hæc tua gaudia inuiderem, amiciſſime, inuiderem iſtbæc amica muſis ſilentia, & Platanonis, ad aquæ lene caput ſacræ, erudita ſolatia. Olim mihi ad cor amaniſſimi eius Cæli facies, & ver illud aſsiduum, quod nunc tibi animam, & diem facit. Inſunt adhuc oculis implexæ eæ arborum, frondiumque concameratæ teſtudines, viarum ſtrata, & diem vmbris ſuis opacantes. Inſunt auribus, quæ per aerios Cypariſſos obambulant aurarum animæ, ad modos fermè occinentes. Iuuit aliquando, iuuit multiplices illos è tonſili lauro calles me vno impedire, & mira topiariæ artis miracula integris horis oculis vſurpare ad delicias. Hærent adhuc animo repandæ ea atria, pulcherrimorum mendaciorum theatra, vbi & monaules Cyclopes grandibus digitis cicutas pererrant; & quadrupedes homines buccina mugiunt, & ſua bella iterum inſtaurant* Titanes, *non iam mon-*

*tes,*

*tes, ſed æquora in Cœlum vſque eiaculantes, & mixta grandine prouocantes nimbos. Video iam, & geminas feras vltricem glomerantes aquam, & vbi inuicem rixatæ fuerint, in hoſpites ſe ſe, refuſis imbribus, inuehentes: & columnas lubrica vertigine fontes rotantes, & è montium iugis vndarum volumina muſice explicantes ſcalas, & gradus nulli impunè meabiles; & concinentia denique ſaxa, & locantes lymphas, quæ oſcitantibus circumquaque ſiphunculis, & reſilientibus ſuſque deque riuulis, ſubeuntibus vndique occurrunt, ſequuntur à tergo refugos, vt leui nunc aſpergine irrorent, nunc magis procellis obruant viantes. Singula, inquam, hæc planè inuiderem, amicorum dulciſſime, niſi vna mihi cellula Communione Tuſculanum aliud reliquiſſes domi, & me penè beaſſes. Feciſti vnus, eò vſque illam repetes, vt nulla optarim & Pæſtana roſaria, & diuites lucos, & hortos tonſiles, & tenera myrteta, & ſequaces hederas, & breuem buxum, quæ millenas iſthic ſcenarum ſeries aperiunt, & vias. Vnus feciſti, vt è gemina feneſtra proſpectu, quæ propè diuina in epiſtola pollicceris ſpectacula, ſolus haberem. Neque enim hic aut lenes aquarum ſuſurri ſilent, & diem*

L totam

*totam hilarant pertinaces auium minuritio-nes; grato murmure ludit aura, & proceras per cupreſſus, qua hinc Columnios hortos hinc noſtras ſepiunt delicias, iugi rithmo fragor exſibilat; imo & odor. Nempè, & hic quoque omnes infra oculos purpurant florum areolæ, & fruticum colores, quibus flexum in æſtatem extremum ver iam ſuſtinet caſus ſuos. Igitur hic perdius, hic pernox; ſi non verſatili gladio, certè calamo Cherubim ago, deliciarum harum cuſtos, donec redeas. Redi, & volens tot delitijs carebo, qui vt delicias omnes facis alloquio, ſic ſuperas virtute.*

*Vale.*

Fran-

## Franciſco Mariæ del Monaco C.R.

### *Ioſeph Silos S. D.*

NOcte appetente, ſucceſſerat ſoluta iam cœnæ periucunda, vt moris eſt, inter commenſales confabulatio, cum allatæ mihi tuæ litteræ, Franciſce Maria ornatiſſime, interceptam ſermocinationem perfudere ſuo nectare. Legerim ipſe, an vorauerim, amicus ſcriptorum tuorum beluo, incertum. Illud ſatis compertum mihi, libatam curſim ſcriptionis dulcedinem, illico regustaſſe. O litterarum ſupra lipſium, elegantiam, nitorem, cultum. Videbatur plane, cum nec auro Principum magnificentia, nec induſtriæ celebrioris famæ ingenia pepercisſent, Tuſculanis hiſce delicijs nihil addi poſſe venuſtatis, nihil demi. Tu picturatæ ſcriptionis tuæ vere tantùm addis elegantiarum, vt iam congeminata amænitas pulchrior ſuperbiat à tuo calamo. Obijciebat ſe mihi iſthæc loci facies, velut Romanæ magnitudinis appendix; videbantur hæc hortorum, ſontiumque miracula ex-

celſiſſimi illius operis parerga: tuo ſtylo debent, quod hæ laudum appellationes infra laudem ſint. En mutuo amplexu nemorum contexta pulcherrimè laquearia vt ſolem opacant: at quantum illa vmbrarum infuſcatio ab ingenij tui commendatione adauget deliciarum maieſtatem? ſectæ per ſummum laborem rupes, actique in planitiem cliui in quàm ſe ſe laxiora explicant theatra, ſi laudas? Mitto lauros, cupreßuſque ad regulam exactas, tonſoque, veluti ad voluptatis ſeruitium, capillamento. Mitto ad gratiarum deambulatiunculas comantes belle Xyſtos. Mitto in areolis florentes laruas, ſcena ſua dignas. Mitto ſyluarum aperta alliaria. Illa me aquarum beata perennitas afficit mirifice, quæ nuſquam numquam quieſcentes pœnam ſuam inſpectantium voluptatem vertunt. Vides, vt carceribus ſuis expeditæ, libertatem admurmurent, prædicentque lætabundæ ad clepſydram? Vides ſtylitem vndam, Herculeas ponere voluptati metas? Vides clymatericam ſe ſe præcipitem dare per gradus? puto, vt ſuimet. ludentis inferne, miracula ſpectet quàm celerrimè. Vides ex Athlanticis humeris Athlanticum mare glomeran-

*merantem? Vides non vno concentu inſtantem Centauro Cornua, Cyclopi calamos, muſis lituos, auibus guttura? Admiranda hæc, hercle, ſed teſtor fidem, neſcio quonam pacto excepta tuo ſtylo hæc ipſa illimis vnda adſuimet inuidiam manat pellucidior, cadit fractior, perſtrepit ſonantior, ludit, lædit innocentior. Porrò Tuſculana hæc ſolatia non inuides ab vnius meæ cellulæ amænitate, & te in ære meo cenſes ob hoſpitij communionem. Agnoſco humanitatem, qua in ornandis amicis totus es: agnoſco modeſtiam ſingularem. Cellæ adſcribis proſpectui, quod tibi ipſi ſine fuco adſcriberes veriùs. Ingenij quippe tui, ac longè gratiſſima ſtudiorum amænitas haſce tibi concinnat delicias. Commentaris? Adonidis hortos cogitas. Scribis? exaras ſcribis pulchrè florum areolas. Pangis ad numerum Carmina? fontes fodis vngula. Denique quacumque ſtylum ducas, nihil profectò eſt quod ad laſciuientis naturæ luſus, veriſque iam adulti venuſtatem deſideres: narciſſos, roſas, amaranthos ſcribis. Epiſtolam tuam cum à me legeretur excepit pronis auribus ſupremus rei noſtræ Moderator, Stephanus Medices, verborumque cultum*

 *extu-*

*extulit Cœlo tenùs. Excepere Patres Butrigarius, & Sottanus, quibus id votum, ne tandiù in publica commoda pecces; & quæ elucubraſti elegantiſsimè, publica tandem vſuræ, ac luci dentur.*
*Romam prope diem reuertemur. Ipſe Tuſculanis delicijs vale dicto, repetam tuas.*
*Vale.*

MVSA

# MVSA
## CANICVLARIS
### SIVE
## EPIGRAMMATVM

Cęnturiæ Tres.

# MVSA CANICVLARIS SIVE EPIGRAMMATVM Centuriæ Tres.

## CENTVRIA PRIMA Quæ Sacra.

### *Triumphat Amor in Chriſti Domini Natalitÿs.*

### Epigram. I.

VIcit,Io: latiam non ſcandit victor in Arcem,
Bethlemià at Diuus rupe triumphat Amor,
Pro lautu aureolus crinis;pro diuite curru
Olli ſtat cultu paupere cuna breuis.
Alipedes niueo non ardent crine iugales;
Bos hinc nixus adeſt poplite, & inde Comes.
Pro trabeà,pictoque oſtro,vela obuia ouantis
Membra tegunt,facili & carbaſa texta manu;
Horreſcunt ſtipulæ ſparſis pro floribus imbres
Fundit odoratos blanda pupilla genis.
It vigil in plauſus Paſtor facundus & æter
Pangit Olympiaco pectine facta Ducis.
Pompa catenato quo Rege ſuperbit?euntes
Qui fuſi decorant clara trophæa Duces?
Cernite: Vicit Amor Numen, niueiſque reuinctum
Faſciolis,prona fronte præire iubet.

# Diuinus Amor

## *Addicitur Infantis Dei miniſterio.*

## Epigram. II.

HVc ades, huc agilis volites, Amor, alite pennâ,
Patris vbi æthereus vagit, & alget Amor.
Pauperiore iacet cultu; ſtat tegmine nullo,
Nulla Deo cuna eſt, culcitra nulla Deo.
Cultra auro pharetra, & gemmis inſignis eois
Sit ſegmentato cuna ſuperba ſinu.
Tegmina ſint alæ Puero; quæ mollior alis
Eſt pluma, acclini culcitra ſit lateri.
Duram hyemem, gelidaſque niues fax temperet igne,
Aurea quæ fronte eſt faſcia, membra liget.
Tandem ne pigeat cunabula picta Tonanti
Sternere, & infantem dextra agitare leui.
Tu Numen, tu cogis, Amor, vagire ſub antro
Bethlemio, atque inter membra iacere niues:
Tu meritam innocuo pendas pro crimine pænam,
Mutata & foueas indole Numen idem.

## *Exijt edictum vt diſcriberetur totus Orbis.*

## Epigram. III.

DIuiſum Imperio nectis Roma inclyta mundum,
Diſiunctuſque Orbis iura Latina ſubit.
Temperat vna manus terras, dominaque coercet
Lege, tibique vni ſeruit vtrumque iubar.

In

In tua pelliti veniunt fræna aurea Reges,
Et ſubdunt ſceptris ſceptra ſuperba tuis.
Te fortuna leuis, teque inſuperabile fatum,
Vertice te prono rerum elementa colunt.
Sed iam parua tibi hæc: vaſti iam margine Cœli
Vix contenta, regis nutibus Empyreum.
Namque tuo Numen dum naſcitur Orbe, latinis
Scribitur & faſtis cum Genitrice Puer;
Felix ſorte tua: capita inter ſubdita cernis
Subiectum latijs faſcibus ire Deum.

## Ad Virginem Deiparam.

*Ipſum quem genuit adorauit.*

### Epigram. IV.

CAndidus exoritur Puer, & rubicundulus aluo
Virginea, æquæuo par, ſimiliſque Patri.
Vt toto Genitrix radiatum Numine vultum
Vidit, & immenſum parua per ora iubar:
Protinùs affixo telluri poplite adorat,
Et ſupplex tremulum contremit ante Deum.
At ne Diua Parens ſine munere Numen adores,
Inclyta iam dederas diuite dona manu.
Sydera frons habuit, fuluum coma nexilis aurum,
Labra roſas, onycem colla, liguſtra genæ.

*Pannis eum inuoluit.*

## Epigram. V.

INuoluit auro Genitrix velamine Natum,
  Et fouet intexta lactea membra niue.
Parce, Puer, mox Diua refert, ſi nexilis auro
  Faſcia, nec Tyrio murice vela micant.
Flaueſcit Caput aureolum, criniſque decorus,
  Purpura & in roſeis eſt pretioſa genis.
Bellule, ne quæras externo à vellere pompam:
  Tu tibi es ipſe aurum, purpura & ipſe tibi.

*Pannis eum inuoluit.*

## Epigram. VI.

DIuus Amor ſupero mouet aſpera bella Tonanti
  Et Cœlum vtrique eſt bellica Arena Duci.
Scinditur Empyreum ſtudia in contraria, Amori
  Belligero vna fauet, pars fauet vna Deo.
Ergò fronte pari concurrunt Numina: & ardens
  Hinc Amor, exertat fulmen & inde Deus.
Quà viret æternum pax aurea feruet Enyo.
  Cominus & nudo pectore pugna calet.
Dic age: quis dubio victor, victuſque Gradiuo eſt?
  Ille tulit palmam Martis, an ille tulit?
Cernite: faſciolis roſeos Deus alligat artus;
  Scilicet, ipſe tulit vulnera: vicit Amor.

Rect.

*Reclinauit illum in præſepio.*

## Epigram. VII.

LActeolus cubat in paleis flos pulchrior aſtris,
  Subiectam & ſtipulam membra tenella premunt.
Sydereum, viuumque ebur, ah, quid acuta cruentas,
  Stillantem & pi[illegible]is murice, ariſta, Deum?
Si qua calet pietas: Puero miteſce cubanti,
  Et niueos molli cuſpide lambe ſinus.
Quid loquor? auricomum Infantem quin pungite vepres,
  Floreus & paruo à vulnere ſanguis eat.
Sic vos flore nouo, roſeoque rubebitis oſtro,
  Paruulus & vernà ſic cubet ille roſá.

*Facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis exercitus.*

## Epigram. VIII.

ALigerùm pennata cohors viden, ætere puro
  Labitur, auratas luce reuincta Comas?
Pulchra quid Empyreum pubes, quid amabile nectar
  Linguitis? & toto gaudia fuſa Deo?
Nempe breuis fulget terris dum Rector Olympi,
  Totus in exiguo Numine Olympus adeſt.
Fronte micat Cœlum; formoſis ardet ocellis
  Empyreum, Pueri blandula forma beat.
Nec roſeum nectar, nec deſunt gaudia; nectar
  Sunt Pueri lachrymæ, gaudia ſunt gemitus.

*Tran-*

*Tranſeamus vſque Bethlem.*

## Epigram. IX.

IT pellita cohors myrto redimita virenti,
Vtque colat Puerum Numen, in antra ſubit.
Aſpicit hic inter pendentia ſaxa Tonantem,
Blandula cui ridet gratia, fuſa genis.
Nec de more inflat calamos; argutaque buxus
Nulla ſonat, celeri pulchrè animata manu.
Inſpectatque, ſiletque, & muto poplite adorat,
Pendula & eſt lateri fiſtula ſueta ſuo.
Ne tacitas mirere manus: ſtat cernua pubes,
Et canere ad numeros antra, Deumque cupit.
Aſt vbi mellitam Pueri vocem ebibit aure,
Erubuit lituos ſollicitare ſuos.

*Vt inueniam te foris, & deoſculer te.*

## Epigram. X.

VT Genitrix inter pungentes vidit ariſtas
Infantem, & duro lactea membra toro.
Floridulo, mora nulla, os ori adiungit anhelum,
Libat & ambroſijs oſcula mille genis.
Mille genis, roſeiſque labris mille oſcula libat;
Cerne hinc, quàm diſtant Natus, & alma Parens.
Ille inter ſtipulas, & vepres ingemit. illa
Mellitas tenero carpit ab ore roſas.

*Ad Virginem Puerperam.*

## Epigram. XI.

PVlchra beat vultu, rutilatque Puerpera: certè
Qui Deus arcano eſt pectore, fronte micat
Mira vides: fudit terris pulcherrima Numen
Virgo, nec enixa à Virgine Numen abeſt.
Plena Deo, cum Diua ſinu tenet inclyta Numen,
Et cum fœta caret Numine, plena Deo.

*Circumciditur Deus Infans*
*Oleum effuſum Nomen tuum.*

## Epigram. XII.

MOlle ebur effuſo cum pingit ſanguine culter,
Et ferit immitis paruula membra lapis.
Tunc ſignata olim gemmaque, & ſyderis auro,
Dantur clara tibi nomina, Diue Puer.
Nempe doloriferum vt curet medicamine vulnus
Cœlum, pura magis balſama nulla liquat.

*Nominis Ieſu Dulcedo.*

## Epigram. XIII.

IVnge ſerenatus quod ſudat nectar Olympus,
Quæque pluit roſeis nubibus, ambroſiam,
Dilutaſque auro gemmas, & lacte remiſtas,
Puraque margaridum pocula iunge ſimul.

Leſ-

Leſbooſque fauos, mella & ſtillantia flore,
Cecropio, & vernis quæ liquat Hibla iugis.
Hæc libant hæc ora ſimul, cum nomen Ieſu
Dulce pijs iterat lingua diſerta modis.
Hinc ſapiet mors dulce mihi vel amarior: hoc ſi
Libato moriar Nomine, nectar erit.

*Magi Infantem Deum adorant.*
*Apertis theſauris ſuis.*

## Epigram. XIV.

POplite Memnonius ſtat flexo, & decolor Indus
Fuſus humi pueri Numinis ante pedes.
Theſauroſque pluunt curuato a ſyrmate, fragrat
Mixta auro, & gaza Perſide meſſis Arabs.
Magne Puer, non thura tibi, lachrymataque myrrha
Cortice, non auri pondera fulua placent.
Sat ſcio: Corda placent. Ergo cape munera Regum:
Namque vbi theſaurus, cor ibi ſemper ineſt.

# Ad Magorum Stellam.

*Donec ſtaret ſupra vbi erat Puer.*

## Epigram. XV.

INdicat vmbratum pannis, nudaque latentem
Pauperie, prono lumine Stella Deum.
Agnoſcitque Iubar: tenerum attingere ſolem
Vellet, lacteolos lambere & ore pedes.

Lam-

Lambere nec datur:at Cœlo propiore moratur
  Pendula,dum Puerum ſceptra Sabæa colunt.
Mox ait,eſt Cœlo infelix ſi Tantalus alter,
  Sydereus Cœlo Tantalus ipſa vocer.

### *De Sanctis Innocentibus.*

## Epigram. XVI.

BImula dum gremio floreſcunt lilia matrum,
  Lilia,quæ niueo pectora lacte rigant.
Enecat,heu,cæca turbò Solymeius ira,
  Purpurat & roſeus membra per alba cruor.
Ne,Mater,ne nuda ſinus,rutilaſque furenti
  Sciſſa comas dextrà,pignora cara gemas.
Nam quæ vernabant modò lactea pignora in vlnis.
  Candida ceu culto lilia nata ſolo,
Sanguine nunc riguo,mutato flore,rubentes,
  Sorte pari bellè conſpicis eſſe roſas.

### *Ad Herodem pro nece Infantum.*

## Epigram. XVII.

IMprobe,ſiſte iram:imbellis nùm faſcia Nati
  Imperij faſces lædere poſſe putas?
An terret te nuda phalanx acieſque biennis?
  Sceptraque num rapiet regia bima manus?
Addere forte putas trabeæ,ſceptroque ſuperbo
  Quos pueris demit dextera ſæua dies?
At præciſa tuo dum prima infantia Regno eſt,
  Qui potuit Regnum conſenuiſſe tuum?

*De Sanctorum Infantum nece,*

## Epigram. XVIII.

CEu fulua ceruice leo,quæ pendula collo
Materno ludunt pignora lictor adit.
Lactentem dulci iam vellit ab vbere natum,
Itque per exiguum cuſpis anhela latus.
Luctatur gemitu mater;dextraque tenellam
Hinc ſobolem miles diſtrahit,inde parens.
Ille trahit,trahit illa,infans huic ridet,& illi;
Lance pari pugnant hinc furor,hinc pietas.
Alternaque ſimul dum vi certatur vtrinque,
Vtraque diſcerpit lactea membra manus.
Infelix nimium nimiumque puellule;quando
Neſcis,plus ne furor læſerit, an pietas?

*In Sacram imaginem,in qua præbent Diuino Infanti Mater Vbera,D. Ioſeph fraga.*

## Epigram. XIX.

DIue Puer,niueum hinc Genitrix premit vbere nectar,
Purpurea hinc niueus dat tibi fraga Senex.
Lacteolas auido tu corripis ore papillas,
Belle,nec à fragis lumina anhela refers.
Carpere rubra placent mammis nunc fraga relictis,
Nunc tibi præ roſeo munere mamma placet.
Sic rubicundus, candidulusque Puellulus,inter
Candida dona hæres,& rubicunda diù.

Dal-

Dulcia formoſæ Matris tamen vbera perge
Sugere, & à fragis abſtine, belle Puer.
Ante diem ne fraga genas, ne labra cruentent,
Sat tua membra olim tinget adulta cruor.

*In ſacram imaginem, in qua Puer Ieſus in Complexu Deiparæ cum Ioanne Baptiſta ludit.*

## Epigram. XX.

CVm Puero Puer vt ludas, è pectore tentas
Matris, & ambroſio vi reſilire ſinu.
Illa vetat: ludas, inquit, mi bellule, ludas:
Ne iuuet at Matris ludificare ſinum.

## Ad illibatæ Virginis Deiparæ Conceptionem.

*Mulier amiſta Sole.*

## Epigram. XXI.

NOn Peluſiaco Virgo velatur amictu,
Non ardet Tyrio murice picta chlamys:
Texuit ipſe togam ſol aureus: aſpice vt illo
Irradiet latè ſyrmate Diua ſolum.
Credite: Virgineo nulla eſt in pectore labes:
Haud bene conueniunt Phæbus, & vmbra ſimul.

# MVSA CANICVLARIS SIVE EPIGRAMMATVM Centuriæ Tres.

## CENTVRIA PRIMA Quæ Sacra.

### *Triumphat Amor in Chriſti Domini Natalitÿs.*

### Epigram. I.

Vicit, Io: latiam non ſcandit victor in Arcem;
Bethlemiâ at Diuus rupe triumphat Amor,
Pro lauru aureolus crinis; pro diuite curru
Olli ſtat cultu paupere cuna breuis.
Alipedes niueo non ardent crine iugales;
Bos hinc nixus adeſt poplite, & inde Comes.
Pro trabeâ, pictoque oſtro, vela obuia ouantis
Membra tegunt, facili & carbaſa texta manu.
Horreſcunt ſtipulæ ſparſis pro floribus imbres
Fundit odoratos blanda pupilla genis.
It vigil in plauſus Paſtor fæcundus & æter
Pangit Olympiaco pectine facta Ducis.
Pompa catenato quo Rege ſuperbit? euntes
Qui fuſi decorant clara trophæa Duces?
Cernite: Vicit Amor Numen, niueiſque reuinctum
Faſciolis, prona fronte præire iubet.

# Diuinus Amor

## *Addicitur Infantis Dei miniſterio.*

## Epigram. II.

HVc ades, huc agilis volites, Amor, alite pennà,
Patris vbi æthereus vagit, & alget Amor.
Pauperiore iacet cultu; ſtat tegmine nullo,
Nulla Deo cuna eſt, culcitra nulla Deo.
Culta auro pharetra, & gemmis inſignis eois
Sit ſegmentato cuna ſuperba ſinu.
Tegmina ſint alæ Puero; quæ mollior alis
Eſt pluma, acclini culcitra ſit lateri.
Duram hyemem, gelidaſque niues fax temperet igne,
Aurea quæ fronte eſt faſcia, membra liget.
Tandem ne pigeat cunabula picta Tonanti
Sternere, & infantem dextra agitare leui.
Tu Numen, tu cogis, Amor, vagire ſub antro
Bethlemio, atque inter membra iacere niues:
Tu meritam innocuo pendas pro crimine pœnam,
Mutata & foueas indole Numen idem.

## *Exijt edictum vt diſcriberetur totus Orbis.*

## Epigram. III.

DIuiſum Imperio nectis Roma inclyta mundum,
Diſiunctaſque Orbis iura Latina ſubit.
Temperat vna manus terras, dominaque coercet
Lege, tibique vni ſeruit vtrumque iubar.

In

In tua pelliti veniunt fræna aurea Reges,
Et ſubdunt ſceptris ſceptra ſuperba tuis.
Te fortuna leuis, teque inſuperabile fatum,
Vertice te prono rerum elementa colunt.
Sed iam parua tibi hæc: vaſti iam margine Coeli
Vix contenta, regis nutibus Empyreum.
Namque tuo Numen dum naſcitur Orbe, latinis
Scribitur & faſtis cum Genitrice Puer;
Felix ſorte tua: capita inter ſubdita cernis
Subiectum latijs faſcibus ire Deum.

## Ad Virginem Deiparam.

*Ipſum quem genuit adorauit.*

## Epigram. IV.

CAndidus exoritur Puer, & rubicundulus aluo
Virginea, æquæuo par, ſimiliſque Patri.
Vt toto Genitrix radiatum Numine vultum
Vidit, & immenſum parua per ora iubar:
Protinùs affixo telluri poplite adorat,
Et ſupplex tremulum contremit ante Deum.
At ne Diua Parens ſine munere Numen adores,
Inclyta iam dederas diuite dona manu.
Sydera frons habuit, fuluum coma nexilis aurum,
Labra roſas, onycem colla, liguſtra genæ.

*Pax*

***Pannis eum inuoluit.***

## Epigram. V.

INuoluit auro Genitrix velamine Natum,
 Et fouet intexta lactea membra niue.
Parce,Puer,mox Diua refert,ſi nexilis auro
 Faſcia,nec Tyrio muricé vela micant.
Flaueſcit Caput aureolum,criniſque decorus,
 Purpura & in roſeis eſt pretioſa genis.
Bellule,ne quæras externo à vellere pompam:
 Tu tibi es ipſe aurum,purpura & ipſe tibi.

***Pannis eum inuoluit.***

## Epigram. VI.

DIuus Amor ſupero mouet aſpera bella Tonanti
 Et Cœlum vtrique eſt bellica Arena Duci.
Scinditur Empyreum ſtudia in contraria,Amori
 Belligero vna fauet, pars fauet vna Deo.
Ergò fronte pari concurrunt Numina:& ardens
 Hinc Amor, exertat fulmen & inde Deus.
Quà viret æternum pax aurea feruet Enyo.
 Cominus & nudo pectore pugna calet.
Dic age:quis dubio victor,victuſque Gradiuo eſt?
 Ille tulit palmam Martis,an ille tulit?
Cernite: faſciolis roſeos Deus alligat artus;
 Scilicet,ipſe tulit vulnera:vicit Amor.

*Reclinauit illum in præſepio.*

## Epigram. VII.

LActeolus cubat in paleis flos pulchrior aſtris,
Subiectam & ſtipulam membra tenella premunt.
Sydereum, viuumque ebur, ah, quid acuta cruentas,
Stillantem & pictis murice, ariſta, Deum?
Si qua calet pietas, Puero miteſce cubanti,
Et niueos molli cuſpide lambe ſinus.
Quid loquor? auricomum Infantem quin pungite vepres,
Floreus & paruo à vulnere ſanguis eat.
Sic vos flore nouo, roſeoque rubebitis oſtro,
Paruulus & vernà ſic cubet ille roſà.

*Facta eſt cum Angelo multitudo cœleſtis exercitus.*

## Epigram. VIII.

ALigerùm pennata cohors viden, ætere puro
Labitur, auratas luce reuincta Comas?
Pulchra quid Empyreum pubes, quid amabile nectar
Linguitis? & toto gaudia fuſa Deo?
Nempe breuis fulget terris dum Rector Olympi,
Totus in exiguo Numine Olympus adeſt.
Fronte micat Cœlum; formoſis ardet ocellis
Empyreum, Pueri blandula forma beat.
Nec roſeum nectar, nec deſunt gaudia; nectar
Sunt Pueri lachrymæ, gaudia ſunt gemitus.

*Tranſeamus vſque Bethlem.*

## Epigram. IX.

IT pellita cohors myrto redimita virenti,
Vtque colat Puerum Numen, in antra ſubit.
Aſpicit hic inter pendentia ſaxa Tonantem,
Blandula cui ridet gratia, fuſa genis.
Nec de more inflat calamos; argutaque buxus
Nulla ſonat, celeri pulchrè animata manu.
Inſpectatque, ſiletque, & muto poplite adorat,
Pendula & eſt lateri fiſtula ſueta ſuo.
Ne tacitas mirerè manus: ſtat cernua pubes,
Et canere ad numeros antra, Deumque cupit.
Aſt vbi mellitam Pueri vocem ebibit aure,
Erubuit lituos ſollicitare ſuos.

*Vt inueniam te foris, & deoſculer te.*

## Epigram. X.

VT Genitrix inter pungentes vidit ariſtas
Infantem, & duro lactea membra toro.
Floridulo, mora nulla, os ori adiungit anhelum,
Libat & ambroſijs oſcula mille genis.
Mille genis, roſeiſque labris mille oſcula libat;
Cerne hinc, quàm diſtant Natus, & alma Parens.
Ille inter ſtipulas, & vepres ingemit. illa
Mellitas tenero carpit ab ore roſas.

*Ad Virginem Puerperam.*

## Epigram. XI.

PVlchra beat vultu, rutilatque Puerpera: certè
Qui Deus arcano eſt pectore, fronte micat
Mira vides: fudit terris pulcherrima Numen
Virgo, nec enixa à Virgine Numen abeſt.
Plena Deo, cum Diua ſinu tenet inclytà Numen,
Et cum fœta caret Numine, plena Deo.

*Circumciditur Deus Infans*
*Oleum effuſum Nomen tuum.*

## Epigram. XII.

MOlle ebur effuſo cum pingit ſanguine culter,
Et ferit immitis paruula membra lapis.
Tunc ſignata olim gemmaque, & ſyderis auro,
Dantur clara tibi nomina, Diue Puer.
Nempe doloriferum vt curet medicamine vulnus
Cœlum, pura magis balſama nulla liquat.

*Nominis Ieſu Dulcedo.*

## Epigram. XIII.

IVnge ſerenatus quod ſudat nectar Olympus,
Quæque pluit roſeis nubibus, ambroſiam,
Dilutaſque auro gemmas, & lacte remiſtas,
Puraque margaridum pocula iunge ſimul.

Leſ-

Lesbooſque fauos, mella & ſtillantia flore,
Cecropio, & vernis quæ liquat Hibla iugis.
Hæc libant hæc ora ſimul, cum nomen Ieſu
Dulce pijs iterat lingua diſerta modis.
Hinc ſapiet mors dulce mihi vel amarior: hoc ſi
Libato moriar Nomine, nectar erit.

*Magi Infantem Deum adorant. Apertis theſauris ſuis.*

## Epigram. XIV.

POplite Memnonius ſtat flexo, & decolor Indus
Fuſus humi pueri Numinis ante pedes.
Theſauroſque pluunt curuato à ſyrmate, fragrat
Mixta auro, & gaza Perſide meſſis Arabs.
Magne Puer, non thura tibi, lachrymataque myrrha
Cortice, non auri pondera fulua placent.
Sat ſcio: Corda placent: Ergo cape munera Regum:
Namque vbi theſaurus, cor ibi ſemper ineſt.

## Ad Magorum Stellam.

*Donec ſtaret ſupra vbi erat Puer.*

## Epigram. XV.

INdicat vmbratum pannis, nudaque latentem
Pauperie, prono lumine Stella Deum.
Agnoſcitque Iubar: tenerum attingere ſolem
Vellet, lacteolos lambere & ore pedes.

Lam-

Lambere nec datur at Cœlo propiore moratur
Pendula, dum Puerum ſceptra Sabæa colunt.
Mox ait, eſt Cœlo infelix ſi Tantalus alter,
Sydereus Cœlo Tantalus ipſa vocer.

## *De Sanctis Innocentibus.*

## Epigram. XVI.

BImula dum gremio floreſcunt lilia matrum,
Lilia, quæ niueo pectora lacte rigant.
Enecat, heu, cæca turbò Sol, ſæuius ira,
Purpurat & roſeus membra per alba cruor.
Ne, Mater, ne nuda ſinus, rutilaſque furenti
Sciſſa comas dextrà, pignora cara gemas.
Nam quæ vernabant modò lactea pignora in vlnis.
Candida ceu culto lilia nata ſolo,
Sanguine nunc riguo, mutato flore, rubentes,
Sorte pari bellè conſpicis eſſe roſas.

## *Ad Herodem pro nece Infantum.*

## Epigram. XVII.

IMprobe, ſiſte iram: imbellis nùm faſcia Nati
Imperij faſces lædere poſſe putas?
An terret te nuda phalanxacieſque biennis?
Sceptraque num rapiet regia bima manus?
Addere forte putas trabeæ, ſceptroque ſuperbo
Quos pueris demit dextera ſæua dies?
At præciſa tuo dum prima infantia Regno eſt,
Qui potuit Regnum conſenuiſſe tuum?

*De Sanctorum Infantum nece.*

## Epigram. XVIII.

CEu fulua ceruice leo, quæ pendula collo
Materno ludunt pignora lictor adit.
Lactentem dulci iam vellit ab vbere natum,
Itque per exiguum cuſpis anhela latus.
Luctatur gemitu mater; dextraque tenellam
Hinc ſobolem miles diſtrahit, inde parens.
Ille trahit, trahit illa, infans huic ridet, & illi;
Lance pari pugnant hinc furor, hinc pietas.
Alternaque ſimul dum vi certatur vtrinque,
Vtraque diſcerpit lactea membra manus.
Infelix nimium nimiumque puellule: quando
Neſcis, plus ne furor læſerit, an pietas?

*In Sacram imaginem, in qua præbent Diuino Infanti Mater Vbera, D. Ioſeph fraga.*

## Epigram. XIX.

DIue Puer, niueum hinc Genitrix premit vbere nectar,
Purpurea hinc niueus dat tibi fraga Senex.
Lacteolas auido tu corripis ore papillas,
Belle, nec à fragis lumina anhela refers.
Carpere rubra placent mammis nunc fraga relictis,
Nunc tibi præ roſeo munere mamma placet.
Sic rubicundus, candidulusque Puellulus, inter
Candida dona hæres, & rubicunda diu.

Dal-

Dulcia formoſæ Matris tamen vbera perge
Sugere, & à fragis abſtine, belle Puer.
Ante diem ne fraga genas, ne labra cruentent,
Sat tua membra olim tinget adulta cruor.

*In ſacram imaginem, in qua Puer Ieſus in Complexu Deiparæ cum Ioanne Baptiſta ludit.*

## Epigram. XX.

CVm Puero Puer vt ludas, è pectore tentas
Matris, & ambroſio vi reſilire ſinu.
Illa vetat: ludas, inquit, mi bellule, ludas:
Ne iuuet at Matris ludificare ſinum.

## Ad illibatæ Virginis Deiparæ Conceptionem.

*Mulier amicta Sole.*

## Epigram. XXI.

NOn Peluſiaco Virgo velatur amictu,
Non ardet Tyrio murice picta chlamys:
Texuit ipſe togam ſol aureus: aſpice vt illo
Irradiet latè ſyrmate Diua ſolum.
Credite: Virgineo nulla eſt in pectore labes:
Haud bene conueniunt Phæbus, & vmbra ſimul.

# In Deiparæ Natalem diem.

***Ab initio, & ante ſecula creata ſum.***

## Epigram. XXIV.

CVius in aureolo floreſcit gratia vultu;
Gemmea cui dulci ſydera fronte micant;
Blanda ſupercilium pulchrè cui circinat Iris,
Et rutilat niueis caltha pudica genis.
Cui formam dedit empyreum, ſapientia mentem,
Corda amor, integritas pectus, & ora pudor;
En oritur ſobolis ſoboles formoſa, Parenſque
Illibata Dei, Filia, Sponſa, Nurus.
Vagiat vt cunis, teneram ne crede puellam:
Hæc ſpecies, hæc nos ludit imago breuis.
Grandior eſt Cunis, eſt longo grandior æuo,
Eſtque prior Cœlo Pupula, ſecla præit.

***Ad DD. Ioachim, & Annam***
***In Virginis Natali die.***

## Epigram. XXV.

FAx gemina; & geminum ſydus, lux aurea vobis,
Orbique, è veſtro depluit ecce ſinu.
Iam vagit, tenerumque iubar iam ludit in vlnis,
Iam lux grandæua fulget adulta face.
Ieſſæi ſoles, vos filia clarat & vmbrat
Luce ſuâ, vobis ſplendor, & vmbra ſimul.
Nec pigeat Natâ vinci, par nobile, vobis
Dat pulchrè, obſcurat pulchrius Illa iubar.

*Ad Deiparam in Cœlum euntem.*

## Epigram. XXVI.

VIrgo per æthereos plaudentibus orbibus orbes
 Dum ſubit Empyreæ gemmea tecta Domus,
Cœliuagam aſpiciunt errantia ſydera, auentque
 Obſequium Dominæ ſingula obire ſuæ.
Phæbus in auratum ſe ſe componit amictum,
 Lunâ, velut rutilans veſtit aluta pedes.
Sufficit hinc ſenior dextram Saturnus eunti,
 Iuppiter hinc faſces, ſceptraque habere ſinit.
Aurea ponè Venus fluitantia ſyrmata tollit,
 Mars famulo auguſtum ſtipat & enſe latus.
Virginis vtque ſonent laudes, Cyllenia dulci
 Pectine facundum dextera pulſat ebur.
Cernitis? aſtriferam faſtidit Virgo phalangem,
 Nec famulatrici ſydera luce placent.
Aeterni petit illa ſinus, atque oſcula ſolis
 Pura ſui: meritò ſydera nulla placent.

*Ad Virginem eandem Aſſumptam, & Coronatam.*

## Epigram. XXVII.

IAm Cœlo Regina ſedes, adamante coruſco
 Vincta Comas, dextram ſceptraque eburna grauant;
Ceu chlamys ex humero refluit ſol textilis, itque
 In ſolium aurato gemmea luna ſinu;

Syde-

Syderibus das iura, tuo currunt iam tempora nutu,
 Fata ſupercilio, nutu elementa regis.
Dextera at obſequitur nobis, quæ regnat in aſtris;
 Imperat, & ſceptrum nobile ſeruit idem.
Sic belle exerces Regina, & ſubdita, vtrumque;
 Seruitium terris, Imperium Empyreo.

*De niue Exquillâ inter æſtiuos calores. Lapſa deſcribenda Aedi Mariana.*

## Epigram. XXVIII.

ICario Cœlum latrat dum ſydere, & ardens
 Fulgurat excuſſo crine, iubâque leo:
Exquilias nix alta tegit, ſignatque latino
 Vertice Virgineæ tecta operoſa Domus.
Confundit Natura vices, ſudantia ridet
 Inter brumales membra anhelare niues:
Ardet hyems, hyematque æſtas; flammaque niuali
 Alget, & hyberno Roma leone calet.
Sic magnæ ſurgunt ingentia templa Parentis,
 Feruet opus nimio ſole, niuetque ſimul.
I, Templum, pia Roma, ſubi; in tua vota laborant
 Quàm bene diuiſo munere flamma, niues.
A niue torpebit vindex nam dextra Tonantis;
 Gliſcet & ardenti à ſydere Matris amor.

*De Niue eadem.*

## Epigram. XIX.

QVod Ioue mutato pluuium fit Iuppiter aurum,
Itque in Virgineos gutta ſuperba ſinus:
Muſa refert mendax;mendacia priſca recenti,
Quæ cadit Exquilijs,erubuere niue.
Concolor argento viden,vt pluit aere nimbus?
Itque in Virgineos nix pretioſa lares?
Non hic damna times; non hoc latet imbre doloſum
Numen,nullus & hic Iuppiter,aut Danae.
Nec moror:Exquilijs quæ nix argentea candet;
Credite:Romulidis aurea ſecla dabit.

# Ad Aram à Paulo V. Pon. Max.

*Deipara in Templo Exquilino excitatam.*

## Epigram. XXX.

CErnitis Exquiliæ fulgentem Virginis Aram?
Totum ardet cultu diuite Molis opus.
Dalmaticum paries vomit aurum;fulgor ab auro
Igneus,& latè fax pretioſa micat.
Ardet onyx,pictis ardent emblemata gemmis,
Vndique & Eous fulgurat igne lapis.
Sunt hæc magnanimus quæ dat ſpectacula Paulus,
Dum ſtruit Auguſtà Tecta ſuperba manu.
Mira facit:ſcythicà ſcintillant mænia flamma,
Hic vbi iam gelida canduit Ara niue.

*Ad Templum Deiparæ ad Niues.*

## Epigram. XXXI.

ARdua ſublimi Moles Sacrata Parenti,
I felix, volucri vertice temne ſolum
Celſus ſurgat apex, & nubibus imperet, altum
Iunonis ſubigat Regna ſupercilium.
Aere nec ſiſtas; ardenti i proxima Cœlo,
Certent ſyderibus culmina & aſtra fugent.
Perge, nec efflato Procyon te terreat igne,
Aureus aut rutilo qui fűrit ore leo.
Scilicet ætereis Caput inpenetrabile flammis
Tutatur pedibus nix famulata tuis.

*Ad Deiparam Sanctiſſimi Roſarij.*

## Epigram. XXXII,

ORe preces atque ore roſas damus, inclyta Virgo,
Quas aperit noſtro, quæ tepet aura, ſinu.
Miſcentur precibus confuſa Roſaria: bellè
Florent namque preces eloquiturque roſa.
Gratia ne deſit precibus, roſa præſtat; & illæ
Dant picturatis ora diſerta roſis.
Pulchrum pande ſinum Virgo, cape munus vtrumque,
Hac lege, vt munus diuidat æqua manus.
Nempè preces nobis proſint; at flore perenni
Fronte tua nectant ſerta decora roſæ.

### *Ad Domum Lauretanam ab Angelis vectam.*

## Epigram. XXXIII.

SYdereis certatim humeris tecta inclyta portant
Virginis Alituum relligioſa cohors.
Aurea curuatur ceruix,ceu prona laboret,
Ceruicemque ſimul pendula ſaxa leuant.
Nanque labant,ſimul & reſpirant mole beata
Aligeri;grauat,& recreat alma Domus,
Longum iter aggreſſi volitant dum paſſibus æquis;
Hæc audita pari gutture verba cani.
O Vtinam ſemper peregrinos ire per Orbem
Sic liceat:valeat Patria,& Empyreum.

### *Domus Lauretana ſiſtitur in Italia.*

## Epigram. XXXIV.

BAiula Cœlituum purum ſecat aera Pubes,
Sacra & vecta Domus pectora anhela beat
Terga Paleſtinis dant collibus; alta recedit
Memphis,& Aegæum viſa equitare ſinum.
Helleſpontiaco nec ſiſtit pendula ponto,
Nec manet Odryſijs irrequieta iugis.
Culmina Theſſalici præteruolat ardua Olympi,
Aemoniam it celeri,præterijtque gradu.
Vtque alterna quies peregrinos recreet artus,
Illyricà paulum ceu ſtatione ſedet.

Nec

Nec mora: Dalmaticis ſoluit penna alite terris,
Auſonijſque locat Tecta beata plagis.
Italia, ò Salue: fueris licet inclyta mille
Vrbibus, & palmis inclyta mille tuis,
Celſior i nunc: tot palmis, atque vrbibus vnum
Lauretum præſtat, præſtat & vna Domus.

### *Ad eandem Lauretanam Domum.*

## Epigram. XXXV.

QVà Laurus Picena viret, puroque ſolutas
Permittit Cœlo Delia ſylua Comas:
Cœlituum pennata cohors hìc virginis almæ,
Sacris vecta humeris, inclyta tecta locat.
Vertice lauretum nutat, ceu ſupplice adoret
Magnos fronte lares, Virgineaſque Domos:
Et virides inter frondes pia ſaxa ſalutant,
Et Philomela ſuo murmure, & aura ſuo.
Siſte: plagas ne quære alias Virgo aduena; & ingens
Hic Phœbea tuum temperet vmbra iubar.
Seu tibi vis necti, ſeu vis mihi nectere Serta,
Prona tibi eſt laurus pendula, prona mihi.

*Ad eandem Virgineam Aedem vectam à Paleſtina.*

## Epigram. XXXVI.

MAgnos æmula Virginis Penates
Pubes Aligerùm incubare dorſo,
Vt vidit; mora nulla:concitatis
Pennis aera diſſecat coruſcum.
Collum ſyderea ſuperbit Aula,
Tecto & Virgineo grauata ceruix
Gaudet pondere,celſiorque ſurgit:
Arderent Zephyri hinc,& hinc volantes
Natales ſuperæ Domos Parentis
Sublimes humeris librare blandis,
Et ſuſpiria lenta ventilantes
Teſtantur calidæ faces medullæ:
Quà tectum volucre & lares beati
Vecti,pennigeris eunt quadrigis,
Aer nubila ſoluit,& ſerenis
Sternit compita f rmatis, viaſque:
Nereus murmure bl ndulo ſuſurrat,
Et Tethis niueo decora ſinu,
Et Nereides,alga quas coronat,
Saltu concelebrant lares volantes:
Iamque emenſus iter Chorus volucris,
Arces appulit Italas Comanti
Et quà Laurea ſylua fronde pubet,
Siſtunt ſyderei gradus olores,
Picenoque ſinu Domum reponunt:
O, ſalue Italiæ latus,beatis

Tell

Tellus Salue iterum ſuperba tectis,
Te Virgo inclyta diligit,tuoſque
Lucos incolit,arduiſque Idumes
Palmis poſthabitis,vi ente lauro
Picena redimit Comas micantes.
Aeternùm hic peregrina Virgo ſiſtat,
Aeternùm excubet Italis & oris.
Lauretum beet vſque,& vſque;ſerta
Hic gemmantia,laureaſque donet
Dextra diuite laureata Virgo.

*Ad Redemptorem Cruci affixum.*
*Inclinato Capite tradidit Spiritum.*

## Epigram. XXXVII.

QVadrifido Numen ligno ſtat pectore nudo,
Ingentes animos ſpirat & exanimis
Argumenta necis non horret ſæua furentis
Cernit & intrepida fronte calere manus.
Immotumque manet,nutat vix inclyta ceruix,
Et modicè acclinant fortia colla caput.
Sic quercus Rhodopæia, grauis quam verberat Eurus;
Vix ſummo nutat vertice,fixa pede.

Ad

*Ad Chriſtum Dominum aſcendentem in Cœlum Nubes ſuſcepit eum in Cœlo.*

## Epigram: XXXVIII.

SAt tenuit tellus Numen, viden, ardua tandem
Vt ſua pennato pergat ad aſtra gradu?
Sublimi nec fertur equo, nec diuite curru,
Victorem nubes aurea ſola vehit.
Sola vehit nubes, quæ mox ſolymeia tecta
Ventilet & riguo leniter igne pluet.
Scilicet illa micet flammis; ſpirabile Numen
Flabit & illa, illa & fulguret, illa tonet.

*De Auguſtiſſ. Eucharistiæ Sacramento.*

## Epigram. XXXIX.

QVem nulla immenſum claudit menſura, nec Orbis
Margo, nec Empyrei grandior Aula capit;
Et qui Cœlum vltrà, quà panditur area inanis
Mundi, perpetuus ſtat, ſuperatque locum;
Fruge ſub exigua viden, vt ſe ſe explicat omnis?
Tergemina & condit Numina parua Ceres?
Credite mortales, tantum grandeſcimus ipſi,
Quantùm ſe modico contrahit Orbe Deus.
Scilicet, vt magnum faciat nos creſcere Numen,
Decreſcit paruà ſub dape Numen idem.

In

*In Sanctam Sindonem.*

## Epigram. XXXX.

CErnitis extinctó ſpirantia lina Tonante?
Albaque purpureo lintea plena Deo?
Non color hic varius,mittit quem decolor Indus,
Oſtro animat vultus,picta vel ora niue.
Non labor egregius,non hic manus inclyta ductis
Signat Apellæis Carbaſa culta notis.
Exanimis Deus hic pictor; qui viuus Olympum
Aurato pinxit ſydere,& igne iubar.
Ille idem Deus hic:dum viuit,ſydera pingit
Cum vixit,fingit vela cruore ſuo.
Cede Deo Deus:inſignes nam pingere telas,
Doctior extincta eſt, quam tua viua manus.

*De Seruatoris Imagine ad Agabarum miſſa.*

## Epigram: XLI.

TEr Domini conata genas.vultumque referre
Dextera,ter cæptum dextera linquit opus.
Deſine,Numen ait,meus eſt labor inclytus;aptè
Numina qui velit pingere, Numen erit.
Non color Empyreum; niueæ vel ſydera frontis
Exprimit, aut rutilas ars operoſa Comas.
Dixit,& egregiâ picta eſt mox carbaſus arte,
Viuaque mortalis rettulit ora Dei.

Pepla

Pepla tibi, Agabare, hæc habeas ſpirantia: cernis,
Aeternum bellè ſignet vt vmbra Iubar?
Conde ſinu effigiem, nulla hac Auguſtior ara eſt;
Sitque fides lampas, thura miniſtret amor.
Hic cultus ſimulacra decet, quibus aſtrifer ipſe
Eſt Deus, archetypos, pictor, imago, Color.

### *Ad D. Ioſephum Chriſti D. Patrem.*

## Epigram. XLII.

IEſſæa de ſtirpe Pater, cui Numina curæ,
Cuius & ingenti pendet ab ore Deus,
Fercula ſydereo ponis vigilata Tonanti,
Eque tuo ſatias pauperiore penu.
Cumque diù, noctuque tibi frons feruida ſudet,
Irriguo creſcunt Numina rore tuo.
Sic epulis dum, magne ſenex, alis omnia alentem,
Quã tu iure Dei diceris eſſe Deus.

### *Ad eundem.*

## Epigram. XLIII.

AEtereo cum Patre, Senex ter Maxime, certas?
Numinis ille Parens, Numinis ipſe Parens.
Aetereum at ſuperas Patrem: nam paupere cenſu
Ipſe Deum paſcis, veſtis & ipſe Deum.
Nempe tuæ vigilant Curæque, manuſque; labore
Veſcunturque tuo Numina, pane tuo.

Hinc

Hinc benè, qui verè Pater eſt, ceu nomina tantùm
Patris habet; nomen cui Patris, ille Pater.

### *In D. Ioannem Baptiſtam, In ſinu Matris exultantem.*

## Epigram. XLIV.

EXilit in vitæ Diuus ſpirabilis auram
'Et tremulis vitam ſaltibus ipſe præit.
Mox caput è roſea truncat ceruice ſecuris,
Saltibus & mortem culta Puella præit.
Nempè, mori tam dulce tibi, quam viuere: nanque
Et vitam, & celebrat feſta chorea necem.

### *Caput D. Ioanni Baptiſtæ præciditur.*

## Epigram. XLV.

VT ſua Rex grandi celebret cunabula luxu,
Regali fumat pompa ſuperba dape.
Auratis it menſa toris, niueoque pererrat
Mæandro, byſſo & diuite culta nitet.
Fecundus feruetque calix, ſpumatque phalerno,
Lesboum & nectar gemma Erythræa liquat.
Guttura nulla cadis parcunt: Rex ebrius inter
Magnanimos geminat pocula Coa Duces.
Vt bibit, vt caput immeritum ferro amputat; heu, quæ
Sacra puellares dona tulere chori.
Nec mirum, caput egregium quod Barbarus aufert,
Lædere nempe caput feruida vina ſolent.

### Ad D. Stephanum Protomartyrem

## Epigram. XLVI.

SAxa ruunt; Diuus labentem ſuſtinet imbrem
Vertice, nec tanto à turbine nutat apex.
Quin, pluat è rutilo ceu gemmeus aere nimbus,
Explicat intrepidos imbre cadente ſinus:
Olli quiſque lapis vel onyx, viridiſque ſmaragdus,
Aut adamas, fuluo aut lumine iaſpis erat,
Excipis hæc meritò certantia ſaxa pyropis,
Aurea qui magno nomine ſerta refers.
Nempe tuæ deſit ne fulgida gemma coronæ.
Debuit in roſea fronte rubere lapis.

### Ad D. Petrum Apoſtolorum Principem.

## Epigram. XLVII.

CYmbula cui tenuis curæ, cui vela, vetuſque
Remigium, rete & nexile cenſus erant.
Olli tergemini Nauis datur inclyta mundi,
Cui puppis Cœlum eſt aurea, prora ſolum.
Implet picta oſtro ſpirabile Carbaſa Numen,
Sollicitat remis æquora diuus Amor.
Cauta gubernatrix torquet ſapientia clauum,
Peruigil Arctoà pyxide & aſtra notat.
Puppi clara fides aurato fulgurat igne,
Dat certas curuo ſpes bona dente moras.

Tor-

Tortilis it funis,ſtant æra tonantia circùm,
Ventis nulla timet prælia,nulla mari.
Grandis,Petre,tibi Nauis: piſcator es idem
Qui fueras,idem nauita,munus idem.
Hoc diſpar: nam ſæpe olim dum retia iactas,
Sæpe nihil trahitur nocte,dieque nihil.
Nunc,rate mutata,iactu felicior vno
Traxit cuncta ſimul ſummaque,& ima Ratis.

## Ad eundem.

*Tibi dabo Claues Regni Cælorum.*

### Epigram. XLVIII.

EN tibi fulgentes auroque,& ſydere claues,
Digna fide,meritis præmia digna tuis.
Panditur his rutilum ſtellantis limen Olympi;
Clauditur his verſo cardine limen idem.
Partiris ſic,Petre,tuo cum Numine Cœlum,
Magnumque Empyrei ſcinditur Imperium
Sceptra Deus quaſſat,tu claues: laudibus æquis,
Aurea tu reſeras ſydera,& ille regit.

## *D. Paulus Apoſtolus Dei voce proſtratus, & erectus.*

### Epigram. XLIX.

FVlguris in morem it cædis,ſpiranſque minarum,
Ardeſcitque oculis Saulus,& ore fremit.

Cum ſubitò igniuomis fulgoribus emicat aer,
Sydereum & latè Numen ab axe tonat.
Stat Sonipes, ſumatque & colla comantia vibrat
Territus, & mordet ſpumea fræna ferox.
Lora quatit, ſalit, indignatur, calcitrat, ardet,
Seſſorem excutiunt dorſa ſuperba ſuum.
Sterneris; & Cœlo qui certas more Gygantum,
Quàm benè fulmineo ſaucius enſe cadis.
At cecidiſſe iuuat: felix tua, Saule, ruina eſt;
Et ruis, & tangit ſydera Celſus apex.

*Ad D. Paulum Apoſtolum.*

## Epigram. L.

SEu loquitur, niueo dictat ſeu verba papyro,
Fulminat è calamo Paulus, ab ore tonat.
Adde enſem, ferro vibrat quem dextra coruſco,
Cernere & intortum fulgur in enſe putes.
Vnde tibi tonitru, totque ignea fulmina, Paule
Queis reſonat, rutilo & fulgurat igne ſolum?
Âh video: ſubijt cum penſile Corpus ad aſtra,
Tergemina & magni Numinis ora vides.
Tunc equidem aſtriſoni celſa de ſede Tonantis
Os tonitru, iniecta & fulmina dextra tulit.

Ad

*In D. Ioannem Euangeliſtam De Aquila eius inſigni.*

## Epigram. LI.

VT facili ſuperes ſublimia ſydera pennà.
Eſt tibi regali ex alite penna leuis.
Tergeminum vt ſpectes inflexo lumine lumen,
En Aquilæ ex acri lumine lumen habes.
Numinis in niuea vt ſignes arcana papyro,
En calamum ex alis Regia vellit auis.
Vt tonitru latè facundo oracula vulges,
Ilicet excuſſo fulmine & illa tonat.
Nempè eſt, Diue, tibi ſimul omnia Regius Ales,
Penna, oculi, calamus, fulmina, tonitrua.
Fallimur: ipſe Aquilæ quin es ſimul omnia, Diue,
Penna, oculi, calamus, fulmina, tonitrua.

*De apum examine in D. Ambroſij ore mellificante.*

## Epigram. LII.

INcubat aureolis dum cunis aureus Infans,
Cecropium circum peruolat agmen apum.
Itque, reditque cohors mellita, immurmurat ore
Dulci, mox roſeis ſiſtere viſa labris.
Nectareæ, mora nulla, breui quæ pectore gazæ
Exundant, inter pulchra labella liquant.

Ambroſio ambroſius liquor additur, inque ſopitas
Larga roſas fluxu diuite mella pluunt.
Mella ſemel ſtillata tibi fama inuida narrat,
Ambroſi, ore & apes iucubuiſſe ſemel.
Lingua docet facunda, tuo quod ſemper in ore
Attica Romuleo mellificauit apis.

*Ad D. Auguſtinum Eccleſiæ Propugnatorem.*

## Epigram. LIII.

AMphitryoniades iactat quid monſtra? iubatas
Quidue feras forti dilaceraſſe manu?
En calamo Aurelius facili monſtra horrida mille,
Mille renaſcentes conficit ore feras.
Mentem acuit, non arma; calet non dextra, ſed ardens
Ingenium, dictat fulmina, tela notat.
Belligeri & certant apices; monumenta cruentant,
Sauciat & pugnax littera, ſenſa necant.
Inuehat in latium ſemper noua monſtra rebellis
Africa, monſtra hæc qui conterat, Afer erit.

*De Leone appingi ſolito*
*D. Hieronymo ſcribenti.*

## Epigram. LIV.

REx nemorum, poſito viden, vt de vellere faſtu,
Dictanti facilis, ceu famuletur, adeſt?
Stat prona ceruice, iubam non ventilat horror,
Fulmina non oculis dira, nec ora tonant.

Pectora mirabar placidi exarmata Leonis
Et lybicam miti vertice ſtare feram.
At poſtquam calamumque tuum, monumentaque vidi
Flammiuoma ingenio feruere, magne Senex,
En vigor, en ardens, inquam, vis illa Leonis,
Tota tuo feruet pectore, tota ſtylo.

***Ad D. Gregorium Magnum dictantem ſcripta, ſtante ſupra caput Columba.***

## Epigram. LV.

DEſerat ætereì ceu picta auiaria Cœli,
Vertice Vittato, fixa columba tuo eſt.
Inſpirat volucrem vim mentis, pectora complet
Numine, & ingenium ſenſa operoſa rigant.
Hinc te penna leuis dictantem ad ſydera tollit,
Datque ſimul verbis pondera penna leuis.
Magne, tuum iam currat opus, volucrique magiſtrà,
Sydereà, pergat ſcribere dextra vigil.
Nec calamus deerit, calamo nec Numina, quando
Pennatum ſacro in vertice Numen adeſt.

***Ad eundem ignea Columnæ inditio Pontificem renunciatum.***

## Epigram. LVI.

VT fugiat latij faſces Dominamquè Tiaram,
Itnemus vmbriferum Magnus, & antra ſubit.

Nec latet: auratam nam flamma imitata columnam
  Fulgurat,& refugum prodidit igne Patrem.
Detrectare nefas: i, Magne in ſceptra Senatus
  Romulei,aſtrorum iura,ſolique regas.
Scis,cur flagranti ſignet te flamma cylindro?
  Quidue notet rutila celſa columna face?
Vt fulges Orbi,ſic virtus tua fulciet Orbem:
  Romulidum columen, lumen & Vrbis eris.

## *D. Ioannes Chryſoſtomus extinctus Populum ſalutat dicens, Pax Vobis.*

## Epigram: LVII.

AVres prona dedit pretioſo pendula ab ore
  Sæpe peroranti Thracia Roma Patri.
Audit & exanimem; dum vox rediuiua feretro
  Exilit,& pulchra pace ſalutat oues.
Ora rigent muta,at facundum palpitat aurum
  Ore,nec elingui in gutture lingua riget.
Viuus in extincto ſpirat Chryſoſtomus; ille
  Totus abijt, lingua & diuite totus adeſt.
Cætera mors potuit facilis ſibi ſubdere membra,
  Grandiloquam at linguam ſubdere non potuit.
Nanque rotat propior dum falcem,conſpicit illam
  Aurea vibrantem fulmina,& extimuit.

### *Ad D. Gregorium Nazianzenum Theologum, & Poetam.*

## Epigram. LVIII.

TErgeminum complexa Deum mens ardua, vaſtum
Quem capit, exæquat voce, ſtyloque Deum.
Nec tantum it numeris facundia docta ſolutis;
Namque cothurnato & carmine plectra mouet.
Sic docet, & canit argutè Myſta inclytus, vnum
Innectit duplex laurea grande caput.
Diue, nec eſt mirum, quod celſior ætera luſtres,
Numine, & illuſtret te propiore Deus.
Alite nam pennà Cælum te Pegaſus effert,
Et vehit ingenium Sanctus ad aſtra furor.

### *Valentis Cæſaris manus reſoluitur dum in Baſilium Magnum exilij ſententiam ſcribit.*

## Epigram. LIX.

BAſili, Argolicæ Princeps, ſuadæque medulla,
In te Romulei Cæſaris ira furit.
Exilium l mphata manus iam dictat, & inter
Iam te Sauromatas collocat, atque Getas.
Sed neruis reſoluta ſuis, languetque, tremitque;
Nempè horret facinus, crimen & ipſa ſuum.
Sic manus abſoluit mulctata, à crimine Diuum,
Indicat, & Cæſar, te tua pœna reum.

Ad

*Ad D. Thomam Aquinatem Eccleſiæ Doctore, Et ſolem in eius pectore depictum.*

## Epigram. LX.

CVi iubar immenſum, vaſtumque per ætera, Cœlo
Ceu maior, grandi ſydere, Phæbe, micas;
Sydere cur mutilo in paruum te contrahis Orbem?
Et rutilas modico in pectore luce breuis?
An magis in Thoma paruum iuuat eſſe, ter amplo
Quam Cœlo magnum mole nitere tua?
At non Phæbe iubar minuis: tibi creſcit ab illo
Corde Calor, creſcit lumen ab ingenio.

*In D. Thomæ Aquinatis ſinu Mutatur in roſas panis.*

## Epigram. LXI.

GRandis dextra inopum ieiuna vt membra foueret,
Fert Cererem gremio diuite ſæpe Puer.
Itque Puer cautus, nec ſe cupit arte videri;
Attamen ars potuit nulla latere Patrem.
Quid ferat ille rogat: rubuitque puellus. & inquit,
Purpureas, mendax ſplendidus, eſſe roſas.
Ilicet oram aperit chlamydis, chlamydemque rubentem,
Et pictam vernis conſpicit eſſe roſis.
Sic latuit pietas; gremioque roſaria rident
Decipere Infantem ſic potuiſſe Patrem.

D. Pand-

*D. Paulinus vt Viduæ filium redimeret Seipſum Vuandalis vendit.*

## Epigram. LXII.

INclitus vt redimat Præſul quos compede ſæuâ
Barbara gens, duro ſeruitioque premit.
Non auro parcit largus, cum Perſide gaza
Dat chlamydem; fuluus frangitur atque calix.
Iamque deeſt aurum, ſupereſt tamen aureus Heros;
Vnum moxque Heros aureus ipſe datur.
Venalis Præſul, ciuem tam diuite cenſu
Vnum emis? ah nimium prodigus ipſe tui es.
Tanti haud ſceptra valent Regum gemmata, nec orbis;
Hoc emeres pretio ſydera, ſiue Deum.

*D. Paulinus regios hortos colit in Africa.*

## Epigram. LXIII.

SPonte ſua Lybicis ſeruus Paulinus in hortis,
Grandis qui fuerat Myſta, Colonus erat.
Non chlamys, ingentem velant nec Syrmata Patrem,
Inclyta pauperior penula membra tegit.
Ore Cothurnato cui fluxerat aureus amnis.
Florea nunc ducto flumine prata rigat.
Proque Aris Colit areolas, viridique fluentes
Myrto, quas nutrit, quas ſecat arte Comas.
Falx lateri pendet; ferit, inſerit, amputat, occat,
Cultaque vittato terra ligone viret.

Feli-

Pepla tibi, Agabare, hæc habeas ſpirantia: cernis,
Aeternum bellè ſignet vt vmbra Iubar?
Conde ſinu effigiem, nulla hac Auguſtior ara eſt;
Sitque fides lampas, thura miniſtret amor.
Hic cultus ſimulacra decet, quibus altrifer ipſe
Eſt Deus, archetypos, pictor, imago, Color.

## *Ad D. Ioſephum Chriſti D. Patrem.*

## Epigram. XLII.

IEſſæa de ſtirpe Pater, cui Numina curæ,
Cuius & ingenti pendet ab ore Deus,
Fercula ſydereo ponis vigilata Tonanti,
Eque tuo ſatias pauperiore penu.
Cumque diù, noctuque tibi frons feruida ſudet,
Irriguo creſcunt Numina rore tuo.
Sic epulis dum, magne ſenex, alis omnia alentem,
Quâ tu iure Dei diceris eſſe Deus.

## *Ad eundem.*

## Epigram. XLIII.

AEtereo cum Patre, Senex ter Maxime, certas:
Numinis ille Parens, Numinis ipſe Parens.
Aetereum at ſuperas Patrem: nam paupere cenſu
Ipſe Deum paſcis, veſtis & ipſe Deum.
Nempe tuæ vigilant Curæque, manuſque, labore
Veſcunturque tuo Numina, pane tuo.

Hinc

Hinc benè, qui verè Pater eſt, ceu nomina tantùm
Patris habet; nomen cui Patris, ille Pater.

## *In D. Ioannem Baptiſtam, In ſinu Matris exultantem.*

## Epigram. XLIV.

EXilit in vitæ Diuus ſpirabilis auram
Et tremulis vitam ſaltibus ipſe præit.
Mox caput è roſea truncat ceruice ſecuris,
Saltibus & mortem culta Puella præit.
Nempè, mori tam dulce tibi, quam viuere: nanque
Et vitam, & celebrat feſta chorea necem.

## *Caput D. Ioanni Baptiſtæ præciditur.*

## Epigram. XLV.

VT ſua Rex grandi celebret cunabula luxu,
Regali fumat pompa ſuperba dape.
Auratis it menſa toris, niueoque pererrat
Mæandro, byſſo & diuite culta nitet.
Fecundus feruetque calix, ſpumatque phalerno,
Lesboum & nectar gemma Erythræa liquat.
Guttura nulla cadis parcunt: Rex ebrius inter
Magnanimos geminat pocula Coa Duces.
Vt bibit, vt caput immeritum ferro amputat; heu, quæ
Sacra puellares dona tulere chori.
Nec mirum, caput egregium quod Barbarus aufert,
Lædere nempe caput feruida vina ſolent.

## *Ad D. Stephanum Protomartyrem*

## Epigram. XLVI.

SAxa ruunt; Diuus labentem ſuſtinet imbrem
Vertice, nec tanto à turbine nutat apex.
Quin, pluat è rutilo ceu gemmeus aere nimbus,
Explicat intrepidos imbre cadente ſinus:
Olli quiſque lapis vel onyx, viridiſque ſmaragdus,
Aut adamas, fuluo aut lumine iaſpis erat.
Excipis hæc meritò certantia ſaxa pyropis,
Aurea qui magno nomine ſerta refers.
Nempe tuæ deſit ne fulgida gemma coronæ.
Debuit in roſea fronte rubere lapis.

## *Ad D. Petrum Apoſtolorum Principem.*

## Epigram. XLVII.

CYmbula cui tenuis curæ, cui vela, vetuſque
Remigium, rete & nexile cenſus erant.
Olli tergemini Nauis datur inclyta mundi,
Cui puppis Cœlum eſt aurea, prora ſolum.
Implet picta oſtro ſpirabile Carbaſa Numen,
Sollicitat remis æquora diuus Amor.
Cauta gubernatrix torquet ſapientia clauum,
Peruigil Arctoà pyxide & aſtra notat.
Puppi clara fides aurato fulgurat igne,
Dat certas curuo ſpes bona dente moras.

Tor-

Tortilis it funis,ſtant æra tonantia circum,
Ventis nulla timet prælia,nulla mari.
Grandis,Petre,tibi Nauis: piſcator es idem
Qui fueras,idem nauita,munus idem.
Hoc diſpar: nam ſæpe olim dum retia iactas,
Sæpe nihil trahitur nocte,dieque nihil.
Nunc,rate mutata,iactu felicior vno
Traxit cuncta ſimul ſummaque,& ima Ratis.

## Ad eundem.

*Tibi dabo Claues Regni Cælorum.*

## Epigram. XLVIII.

EN tibi fulgentes auroque,& ſydere claues,
Digna fide,meritis præmia digna tuis.
Panditur his rutilum ſtellantis limen Olympi;
Clauditur his verſo cardine limen idem.
Partiris ſic,Petre,tuo cum Numine Cœlum,
Magnumque Empyrei ſcinditur Imperium
Sceptra Deus quaſſat,tu claues: laudibus æquis,
Aurea tu reſeras ſydera,& ille regit.

*D. Paulus Apoſtolus Dei voce proſtratus, & erectus.*

## Epigram. XLIX.

FVlguris in morem it cædis,ſpiranſque minarum,
Ardeſcitque oculis Saulus,& ore fremit.

Cum ſubitò igniuomis fulgoribus emicat aer,
Sydereum & latè Numen ab axe tonat.
Stat Sonipes, ſumatque & colla comantia vibrat
Territus, & mordet ſpumea fræna ferox.
Lora quatit, ſalit, indignatur, calcitrat, ardet,
Seſſorem excutiunt dorſa ſuperba ſuum.
Sterneris; & Cœlo qui certas more Gygantum,
Quàm benè fulmineo ſaucius enſe cadis.
At cecidiſſe iuuat: felix tua, Saule, ruina eſt;
Et ruis, & tangit ſydera Celſus apex.

## *Ad D. Paulum Apoſtolum.*

## Epigram. L.

SEu loquitur, niueo dictat ſeu verba papyro,
Fulminat è calamo Paulus, ab ore tonat.
Adde enſem, ferro vibrat quem dextra coruſco,
Cernere & intortum fulgur in enſe putes.
Vnde tibi tonitru, totque ignea fulmina, Paule
Queis reſonat, rutilo & fulgurat igne ſolum?
Âh video: ſubijt cum penſile Corpus ad aſtra,
Tergemina & magni Numinis ora vides.
Tunc equidem aſtriſoni celſa de ſede Tonantis
Os tonitru, iniecta & fulmina dextra tulit.

*Ad*

*In D. Ioannem Euangeliſtam De Aquila eius inſigni.*

## Epigram. LI.

VT facili ſuperes ſublimia ſydera pennà.
Eſt tibi regali ex alite penna leuis.
Tergeminum vt ſpectes inflexo lumine lumen,
En Aquilæ ex acri lumine lumen habes.
Numinis in niuea vt figntes arcana papyro,
En calamum ex alis Regia vellit auis.
Vt tonitru latè facundo oracula vulges,
Ilicet excuſſo fulmine & illa tonat.
Nempè eſt, Diue, tibi ſimul omnia Regius Ales,
Penna, oculi, calamus, fulmina, tonitrua.
Fallimur: ipſe Aquilæ quin es ſimul omnia, Diue,
Penna, oculi, calamus, fulmina, tonitrua.

*De apum examine in D. Ambroſij ore mellificante.*

## Epigram. LII.

INcubat aureolis dum cunis aureus Infans,
Cecropium circum peruolat agmen apum.
Itque, reditque cohors mellita, immurmurat ore
Dulci, mox roſeis ſiſtere viſa labris.
Nectareæ, mora nulla, breui quæ pectore gazæ
Exundant, inter pulchra labella liquant.

Ambroſio ambroſius liquor additur, inque ſopitas
Larga roſas fluxu diuite mella pluunt.
Mella ſemel ſtillata tibi fama inuida narrat,
Ambroſi, ore & apes incubuiſſe ſemel.
Lingua docet facunda, tuo quod ſemper in ore
Attica Romuleo mellificauit apis.

### *Ad D. Auguſtinum Eccleſiæ Propugnatorem.*

## Epigram. LIII.

AMphitryoniades iactat quid monſtra? iubatas
Quidue feras forti dilaceraſſe manu?
En calamo Aurelius facili monſtra horrida mille,
Mille renaſcentes conficit ore feras.
Mentem acuit, non arma; calet non dextra, ſed ardens
Ingenium, dictat fulmina, tela notat.
Belligeri & certant apices; monumenta cruentant,
Sauciat & pugnax littera, ſenſa necant.
Inuehat in latium ſemper noua monſtra rebellis
Africa, monſtra hæc qui conterat, Afer erit.

### *De Leone appingi ſolito D. Hieronymo ſcribenti.*

## Epigram. LIV.

REx nemorum, poſito viden, vt de vellere faſtu,
Dictanti facilis, ceu famuletur, adeſt?
Stat prona ceruice, iubam non ventilat horror,
Fulmina non oculis dira, nec ora tonant.

Pe-

Pectora mirabar placidi exarmata Leonis
  Et lybicam miti vertice ſtare feram.
At poſtquam calamumque tuum, monumentaque vidi
  Flammiuoma ingenio feruere, magne Senex,
En vigor, en ardens, inquam, vis illa Leonis,
  Tota tuo feruet pectore, tota ſtylo.

***Ad D. Gregorium Magnum dictantem ſcripta, ſtante ſupra caput Columba.***

## Epigram. LV.

DEſerat æterei ceu picta auiaria Cœli,
  Vertice Vittato, fixa columba tuo eſt.
Inſpirat volucrem vim mentis, pectora complet
  Numine, & ingenium ſenſa operoſa rigant.
Hinc te penna leuis dictantem ad ſ.dera tollit,
  Datque ſimul verbis pondera penna leuis.
Magne, tuum iam currat opus, volucrique magiſtrâ,
  Sydereà, pergat ſcribere dextra vigil.
Nec calamus deerit, calamo nec Numina, quando
  Pennatum ſacro in vertice Numen adeſt.

***Ad eundem ignea Columna inditio Pontificem renunciatum.***

## Epigram. LVI.

VT fugiat latij faſces Dominamquè Tiaram,
  Itnemus vmbriferum Magnus, & antra ſubit.

Nec latet: auratam nam flamma imitata columnam
Fulgurat, & refugum prodidit igne Patrem.
Detrectare nefas: i, Magne in ſceptra Senatus
Romulei, aſtrorum iura, ſolique regas.
Scis cur flagranti ſignet te flamma cylindro?
Quidue notet rutilâ celſa columna face?
Vt fulges Orbi, ſic virtus tua fulciet Orbem:
Romulidum columen, lumen & Vrbis eris.

***D. Ioannes Chryſoſtomus extinctus Populum ſalutat dicens, Pax Vobis.***

## Epigram: LVII.

AVres prona dedit pretioſo pendula ab ore
Sæpe peroranti Thracia Roma Patri.
Audit & exanimem, dum vox rediuiua feretro
Exilit, & pulchrâ pace ſalutat oues.
Ora rigent muta, at facundum palpitat aurum
Ore, nec elingui in gutture lingua riget.
Viuus in extincto ſpirat Chryſoſtomus; ille
Totus abijt, lingua & diuite totus adeſt.
Cætera mors potuit facilis ſibi ſubdere membra,
Grandiloquam at linguam ſubdere non potuit.
Nanque rotat propior dum falcem, conſpicit illam
Aurea vibrantem fulmina, & extimuit.

*Ad D. Gregorium Nazianzenum Theologum, & Poetam.*

## Epigram. LVIII.

TErgeminum complexa Deum mens ardua, vaſtum
Quem capit, exæquat voce, ſtyloque Deum.
Nec tantum it numeris facundia docta ſolutis;
Namque cothurnato & carmine plectra mouet.
Sic docet, & canit argutè, Myſta inclytus, vnum
Innectit duplex laurea grande caput.
Diue, nec eſt mirum, quod, celſior ætera luſtres,
Numine, & illuſtret te propiore Deus.
Alite nam pennà Cælum te Pegaſus effert,
Et vehit ingenium Sanctus ad aſtra furor.

*Valentis Cæſaris manus reſoluitur dum in Baſilium Magnum exilij ſententiam ſcribit.*

## Epigram. LIX.

BAſili, Argolicæ Princeps, ſuadæque medulla,
In te Romulei Cæſaris ira furit.
Exilium Imphata manus iam dictat, & inter
Iam te Sauromatas relegat, atque Getas.
Sed neruis reſoluta ſuis, languetque, tremitque,
Nempè horret facinus, crimen & ipſa ſuum.
Sic manus abſoluit mulctata, à crimine Diuum,
Indicat, & Cæſar, te tua pœna reum.

Ad

*D. Paulinus vt Viduæ filium redimeret Seipſum Vuandalis vendit.*

## Epigram. LXII.

INclitus vt redimat Præſul quos compede ſæuâ
Barbara gens, duro ſeruitioque premit.
Non auro parcit largus, cum Perſide gaza.
Dat chlamydem; ſuluus frangitur atque calix.
Iamque deeſt aurum, ſupereſt tamen aureus Heros;
Vnum moxque Heros aureus ipſe datur.
Venalis Præſul, ciuem tam diuite cenſu
Vnum emis? ah nimium prodigus ipſe tui es.
Tanti haud ſceptra valent Regum gemmata, nec orbis;
Hoc emeres pretio ſydera, ſiue Deum.

*D. Paulinus regios hortos colit in Africa.*

## Epigram. LXIII.

SPonte ſua Lybicis ſeruus Paulinus in hortis,
Grandis qui fuerat Myſta, Colonus erat.
Non chlamys, ingentem velant nec Syrmata Patrem,
Inclyta pauperior penula membra tegit.
Ore Cothurnato cui fluxerat aureus amnis.
Florea nunc ducto flumine prata rigat.
Proque Aris Colit areolas, viridique fluentes
Myrto, quas nutrit, quas ſecat arte Comas.
Falx lateri pendet; ferit, inſerit, amputat, occat,
Cultaque vittato terra ligone viret.

Feli-

Felices nemoriſque vmbræ, florentis & horti
Deliciæ, fœlix pomiferumque ſolum.
Præſul at Auſoniæ dum finibus exulat ingens:
Auſoniæ, heu, lachrymis Africa ridet humus.

*In efferueſcentem D. Ianuarij Sanguinem in conſpectu Capitis.*

## Epigram. LXIV.

NOn quæ magnanimo quondam de vertice fluxit,
Purpurat hic nitido ſanguinis vnda vitro.
Puniceo at rutilant corallia mixta pyropis;
Et ſi quæ ſcythico littore gemma rubet.
Nec mirum, viſo ſpument quod vertice gemmæ,
Diues & arcano ferueat igne liquor.
Scilicet obiectum caput ardent nectere ſerto
Gemmanti, & meritas irradiare Comas.

*Ad D. Benedicti aduentum corruit in monte Caſino Apollinis ſimulacrum.*

## Epigram. LXV.

VIx iuga Campani Diuus ſubit alta Caſini,
Luſa vbi gens adolet maſcula thura Dijs
Vertice cum trepido nutat crinitus Apollo,
Moxque ruit prono marmore fuſus humi.
Nobilis & Cythara effracto cum Numine fracta eſt
Et ſurdo iacuit pectine muta chelys.

In-

Inclyta ſic celebri Benedicti nomina plauſu
  Perque ſonant latè Compita, perque vias.
Sunt hæc, Diue, tuæ famæ miracula, Phæbi
  Frangitur vt lituus, clarius illa ſonat.

*Ad D. Benedictum in Eremo commorantem. Comparatur Regibus.*

## Epigram. LXVI.

SOliuagus Syluas intér dum degis opacas,
  Et tegit vmbroſum membra pudica nemus
Non tibi pompa deeſt regali ſplendida luxu,
  Par es ſceptrigeris Regibus, aut ſimilis.
Aula eſt antrum ingens, famulantur picta volucrum
  Agmina, pro foribus ſtat leo, ceruus, aper.
Aurea Conuexum tibi dat laquearia Cœlum;
  Porrigit ardentes Luna, vel aſtra faces.
Pendula ſunt hederæ virides aulæa; cubanti
  Flos tibi puluillus, culcitra mollis humus.
Cum Ioue ſic certas, ſic es Ioue ditior ipſo,
  Dum nudus nudo ſub Ioue, Diue, iaces.

*Idem per ſpinas volutatur.*

## Epigram. LXVII.

CErne cruentatos hirſutis vepribus artus,
  Candida ne turpis corda cruentet amor.

Sæua

Sæua pharetrati pueri ſic cuſpide cuſpis
Luditur,& vulnus vulnere,Diue,fugis.
Sic quæ candidulum fœdauit Sanguine florem;
Sanguine fœdatur nunc Cytherea tuo.
Mutas ipſe vices:blandi modo ſpicula amoris
Horrebas,tua nunc ſpicula ſentit amor.

## *Ad D. Nicolaum liquore iugi manantem.*

## Epigram. LXVIII.

HIc vbi Nicoleum ſupplex veneratur Iapyx,
Fulgentemque Aram Daunia prona terit.
Rore madent puro ſtillantia Præſulis oſſa,
Atque peregrino flumine Buſta rigant.
Felix fortè animus nimio iam nectare plenus,
Donat relliquias oſſibus ipſe ſuis?
An quia feruet adhuc gelidus vel in oſſibus ignis,
Ardentem gelido temperat amne facem?
Anne abit in lachrymas totus,gemituque beato
Manantes artus in tua vota liquat?
Quid moror? eſt ſudor,manat qui fronte perennis
Illum nanque tui nunc quoque cura premit.

## *Ad D. Franciſci ſtigmata.*

## Epigram. LXIX.

FIxus humi Diuus,rutilis ſed proximus aſtris,
Totum haurit volucri mente,animoque Deum,
Aere cum medio ſtat flammeus Aliger, alis
Penſilis, immixto & nectare tela iacit.

Mi-

Miſſilis itque ſinu cuſpis; ſimul æſtuat, alget
Franciſcus, ſimul & viuit, & emoritur.
Pallent ora, rubent viuo ſed murice membra,
Et roſeum grandi vulnere pectus hiat.
Hæc tibi Diuus Amor pro munere vulnera mittit,
Tu conde ardenti dona cruenta ſinu.
Hæc habuit, quæ donet Amor, niſi tela coruſca
Nulla pharetrato à Numine dona feres.

*Ad D. Maurum extrahentem è lacu Placidum.*

## Epigram. LXX.

INſilit in Medias Puer immerſabilis vndas,
Dum Placidus prono flumine ſertur aquis.
Apprehenſumque comà labentem littore ſiſtit,
Inclyta ceu rapido rapta trophæa lacu.
Fluctuat haud Maurus, liquenti ſuſilis amne,
Nec vitreo Maurum ſorbuit vnda ſinu.
Talia nam audentem videt vnda, nec amplius vnda eſt:
Dum ſtupet, attonito flumine marmor erat.

*Ad D. Antonium Patauinum prope littus Ariminenſe declamantem.*

## Epigram. LXXI.

DVm tu declamas placidi prope littoris vndas,
Et Tethys leni murmure plaudit ouans.
Adglomerant ſe ſe piſces, properantque, ruuntque,
Et facto inſiliunt agmine, ſeque premunt:

Hæc

Hæc tua flexaminæ Antoni, miracula linguæ,
Hæc quæ facundo depluit ore charis.
Scilicet, auratos quos tendis piſcibus hamos,
Aurea quæ tendis retia, piſcis amat.

*Ad D. Franciſcum à Paula Siculum fretum pallio traijcientem.*

## Epigram. LXXII.

DVm freta Trinacrij peruadis reflua ponti,
Et te magne ſenex, excipit vnda ſinu.
Tu puppis, vela exuuiæ, ſuſpiria venti,
Nauta fides, rutilans eſt Cynoſura Deus.
Miratus tua Neptunus veſtigia, ſupplex
Conſtitit, & talem protulit ore ſonum.
Par erat, vt terris qui iam dominatur, & aſtris,
Cærulei teneat ſceptra ter ampla maris.

*Ad eundem. Alluditur eius baculo.*

## Epigram. LXXIII.

DVm Senis intrepida ardentem manus excipit ignem,
Abſtinuit ſacras vrere flamma manus.
Pendula ſublimi dum ſaxa crepidine cernit:
Imperat; attonitus ſiſtitur ecce lapis.
Siue ruit fornax, fornax mox ſenſit Athlantem,
Poſcit ſiue imbres, imbre rigatur humus.
Hinc vitreis piſcis rediuiuus redditur vndis:
Illæſus nocuo hinc agnus ab igne redit.

San-

Sancte Senex, ſupplex viden,vt tibi ſeruiat Orbis,
Et nutum agnoſcant ſubdita fata tuum?
Haud fallor: tereti quo niteris ipſe bacillo,
Nobilis Imperij ſceptra fuere tui.

*Ad D. Carolum Borromæum*
*Fiſtulæ ictu nil læſum.*

## Epigram. LXXIV.

ME petit artifici manus improba fulmine: Cœlum
Certius hoc nullum fulmine fulmen habet.
Feruida laxatur dirè rota,fulgurat ardens
Igne chalybs,tonat & gutture,glande ferit.
Ergò petunt noſtrum tela illætalia pectus,
Prona ſed innocuo è pectore tela cadunt.
Cur trepidas,reſiliſque chalybs è pectore? Numen
Num qui adamat,munit firmo adamante latus?
Inuidis at mortem,video. Clementia ſæua eſt
Vulnere,cum parcis,me grauiore petis.

D. *Iſidorus dum orat,*
*Angeli arant.*

## Epigram. LXXV.

DVm Tarteſſiacus terit otia Sacra Colonus,
Soliuagus tacita pulſat & aſtra prece.
Aligerùm pubes in aratra vicaria pernix
Inuolat,alternà ſulcat & arua manu.

O Cœli-

Cælicolas nec lædit hyems,nec pectora anhelant,
 Ora nec aſtriferà fronte rigata madent.
It campis alacremque iuuant ſua vulnera taurum,
 Cultaque Olympiaco vomere gaudet humus,
Diues erit tantis fruges cultoribus.at tu
 Fruge alia meſſis tempora Diue,præis.
Sydereus nam ſciſſa colit dum rura Colonus,
 Mente ſubis Cœli iugera,& aſtra metis.

### *D. Clemens P. alligata ad Collum anchora mergitur.*

## Epigram. LXXVI.

ROmulidum Patri ſuſpenditur anchora collo,
 Naufraga Romulidum mergat vt vnda Patrem.
It tamen ille,velut plenis ratis aurea velis,
 Anchora nec torto dente moratur iter.
Sic aſtra,& portum tenet immerſabilis Heros
 Obrutus æquoreis,pondere preſſus,aquis.
Quæque dedit volucrem curſum grauis anchora, Cœli
 Dat ſimul æternas in ſtatione moras.

*D. Romanus Martyr exeċta lingua Dei laudes celebrat.*

## Epigram. LXXVII.

ANxiùs æterni præconia Numinis vrget
Diuus, mortali, & grandior ore tonat,
Indignabundus ſtygio calet igne Tyrannus,
Perque oculos ira it feruida, perque genas.
Mox iubet, i miles vindex, i gutture ab imo,
Ferro cæſa tuò lingua diſerta cadat.
Lingua diſerta cadit: manat tamen aurea fandi
Copia, & elingui clarius ore tonat.
Nil linguam torſiſſe iuuat, Rex impie, linguà
Culta fides nouit nobiliore loqui.
Chriſtiadis Cœlo facundia depluit ardens;
Et cum lingua deeſt gutture, Numen adeſt.

*Ad D. Euſtachium Martyrem.*

## Epigram. LXXIII.

SAepius it Syluis Placidus. cingitque Britanno
Teſqua cane, & figit cuſpide ſæpe feras.
Nunc altis premit informem latratibus vrſum,
Nunc fuluum telum miſſile vexat aprum.
Cum ramoſa inter fugientis cornua cerui
Numinis extincti pendula ſigna videt.
Attonitus pallet, ſyluiſque egreſſus, àb illo
Mutatus, captam ſe videt eſſe feram.
Cerne vices: qui ceruus erat, venatur; & ardens
Qui venator eras, inclyta preda Dei es.

*Ad eundem in bouem aneum incluſum.*

## Epigram. LXXIX.

ENſis Romuleæ, clypeuſque Euſtachius Arcis,
Mars latius, vindex Cæſaris, Vrbis amor.
Iam bella enumerat palmis, iamque inclyta factis
Roma minor, tanto haud ſufficit vna Duci.
Laurigeras tamen ille Comas, trabeaſque ſuperbas
Temnit, & egregiâ parta trophæa manu.
Æſtimat inciſas auro, vel ſydere palmas,
Quas alit ætereum fronde virente nemus;
Lætius hinc Coelo vt creſcant palmeta triumph'
En colit ardenti cum boue anhelus humum.

*Ad eundem vna cum filijs in candentem Taurum incluſum.*

## Epigram. LXXX.

ALcides latij nudo ſtant pectore contra
Igniuomum taurum, nec tremuere genæ.
Celſa calet moles, ardentique æſtuat ære,
Nec ſtat Chriſtiadum in pectore flamma minor.
I Pater, i Soboles, quà taurus candet ahenus:
Inclyta facundus veſtra trophæa canet.
Mugiet ille; tuba & grandi pœana diſertum
Concinet, & ſonitu nomen ad aſtra feret.

*Diuus Euſtachius alloquitur filios dum candentem bouem vna ſubeunt.*

## Epigram. LXXXI.

Vos, Soboles, luctu Patrem merſiſtis acerbo,
  Cum rapuit ſæuo Punicus ore Leo.
Vidi ego Getulo pendentia pignora rictu,
  Ipſe ego; nec fallax luſit imago Patrem.
Macti animo, Nati, grandis proludia pugnæ
  Sint hæc, magnanimæ & ſigna decora necis.
Scilicet en feruet Taurus: viciſſe leonem
  Magnum opus; at Taurum hunc vincere, maius opus.

*D. Franciſcus viſus in ſomnis fulcire humeris Lateranenſem Eccleſiam.*

## Epigram. LXXXII.

Mole ſua labi laterana Palatia Præſul
  Romulidum, occiduo & vertice. Templa videt,
Mox fulcire humeris laquearia pendula Pauper
  Viſus ibi, collo & ſiſtere ſaxa ſuo.
Tu labentis Athlas Arcis, Franciſce, lacerna,
  Cui detrita Cinis, pallida & ora cinis.
In cineres ne prona ruant ingentia Templa,
  Mirum, ſubiectus ſuſtinet illa cinis.

*Ad D. Stephanum Vngarorum Regem. Cuius ob largam in pauperem munificentiam incorrupta adhuc dextra cernitur.*

## Epigram. LXXXIII.

Aſſiduumquæ dextra aurum pretioſior auro,
Atque inopi vena diuite fudit opes:
Viua latet tumulo, ceu puluere maior, & vrnâ,
Intacta arenti & corpore ſola viret.
In cineres abijſſe manum, generoſa te amplo
Pectore quæ pietas ferbuit, illa vetat.
At quæ lenta fuit nunquam, nec parca petenti,
Inuida qui poterat lædere Parca manum?

D. *Martinus pallium cum paupere diuidit.*

## Epigram. LXXXIV.

CErnis, vt exertet rutilum manus impigra ferrum,
Martius & volucri fulguret igne chalybs?
Non hoſtem petit iſte chalybs, toga ſcinditur enſe,
Nuda inopis tegat vt pectora ſciſſa chlamys.
Nunc viſa eſt primùm pietas mucrone coruſco.
Ardere, & tenerâ ferrum agitare manu.
Martinus dedit arma. Vides? clementior enſe eſt
Nunc Pietas, quàm cum pectore inermis erat.

*S. Babylas ſua ſecum vincula iubet tumulari.*

## Epigram. LXXXV.

NOn ardens Babylam ferrum, non cæca Tyranni
Ira, nec Herculeus terruit vngue Leo.
Victor obit tandem prædura compede victus,
Aſtraque nexa inter vincla ſolutus adit.
Sed iubet, vt gelida nexus tumulentur in vrna,
Sitque pio cineri pulchra catena Comes.
Inclyta Chriſtiadum viden vt patientia duret?
Vincla vel extinctus puluis & ipſe cupit.
Nam ſemper ſi dulcis amor Crucis oſſibus hæſit,
Ferrea ſtant meritò vincula, & oſſa ſimul.

*Ad D. Simeonem Stylitam.*

## Epigram. LXXXVI.

ARduus inflexà Simeon ceruice columnam
Stat ſupra, Cœlo proximus, vt merito.
Dura fronte hyemes, algenteſque excipit imbres,
Intorta & ridet fulmina celſus apex.
Sæpe caput nix alta tegit, ceu ferrea caſſis,
Armat ſæpè gelu pectora, ceu clypeus.
Aſtra cauete: petit veſtras Dux cominùs Arces,
Inſuetà armatus caſſide, & ære nouo.

## *Ad* S. *Agatham V. M.*

## Epigram. LXXXVII.

VIrgineum ſecto dum purpurat vbere pectus,
Et nix irriguo ſanguine nuda tepet.
Cæſarie, vultuque ſenex grauis adſtitit illi,
Et ſciſſum roſeo è pectore reddit ebur.
Viuum cernit ebur Iudex rediiſſe, nec ira
Incipit è gemino fonte calere minus.
Improbe, ſat nigro ſunt corda infecta veneno,
Mulcere haud gemina eſt nectaris vnda ſatis.

## D. *Catharina V. M. rota cruciatur.*

## Epigram. LXXXIII.

VIrgineum latus vt vexet grauis ira Tyranni,
Vulnificam dirà fabricat arte rotam.
Vertitur, exerto ſæuitque volubilis enſe
Orbita, lethali & cuſpide fata rotat.
Virginis at Phariæ niueos vix attigit artus,
Cum frangi exiguo eſt tempore viſa rota:
Iam genus egregium, Attalicum iam ſpreuerat aurum;
Et Peluſiacà ſyrmata picta manu.
Nec mirum, ſi Diua rotam terit inclyta; quando
Fortunæ aſſueta eſt ludere ſæpè rotam.

*Ad*

*Ad eandem, Secto Capite lacte manantem pro Sanguine.*

## Epigram. LXXXIX.

INclyta crudelis detruncat Colla Satelles
Mirum: pro roſeo Sanguine lacte fluunt,
Fortè cruor niuea præcinctus cyclade, gaudet,
Pro Domino fundi promeruiſſe ſuo?
Fortè dies fulſit cum non felicior vlla,
Candidulis ſignat candida gemma notis?
An quæ docta phalanx genita eſt, Catharina, diſerto
Ore tuo, par eſt, creſcere lacte tuo?
Lacteolis fundis num lilia mixta liguſtris,
Vt religent meritas florea ſerta Comas?
Ah video: aſtra petis; diſſectis lactea venis
Sit ceruix, niueo vt tramite ſignet iter.

*D. Dorothea pollicitos Theophilo flores e Cœlo mittit.*

## Epigram. XC.

PRomittit moritura roſas, & lilia Virgo,
Lilia quæ Cœli è floribus ipſa metat.
Inſanus riſit Iuuenis viridaria Cœli
Florea, Olympiacas riſit & areolas.
Vix rutila inſeritur pulchrum per vulnus in aſtra,
Ver & ſydereum vix premit illa pede:

Lilia

Lilia cum Iuueni,& quæ florent ætere puro,
Compoſitas calatho diuite miſit opes.
Vt ridere videt flores,mora nulla,profanos
Ille Deos ridet,vultu,animoque alius.
Sic bellè in fructus flores abiere,ſimulque
Illa fidem ſoluit,concipit ille fidem.

### *Ad D. Luciam V. M.*

## Epigram: XCI.

FRonte quod è niuea geminam manus impia lucem
Eruit,& dulci lumine,Diua,cares:
Ne doleas:nam frontis honos geminatur.& ardet
Clariùs extincta luce ſupercilium.
Qui fuerant oculi,modò ſunt duo ſydera:cernis?
Heſperus hinc roſeus.lucifer inde micat.
Heſperus occiduæ claudit tibi tempora vitæ;
Lucifer æternum fert,aperitque diem.

### *D. Cæcilia Organum pulſans.*

## Epigram. XCII.

DVlce per auratos it ductilis aura meatus,
Muſica dum pulſat cymbala Diua manus.
Quin canit & Virgo, facundo & gutture certant
Organa; par digitis,par erat ore melos.

At

At viden, vt nimio diuina Poetria languet
  Nectare, & Hiblæo mergitur Oceano,
Ipſa ſibi Siren; canit, eſt & naufraga Virgo,
  Delicias inter carmine merſa ſuo.

### *Ad D. Apolloniam V. M.*

## Epigram. XCIII.

QVid roſeas Diuæ malas, quid tundis & ora,
  Oris & è viuo murice vellis ebur?
Impie, nonne vides, vt te tua lædat acerbe,
  Augeat & pulchræ Virginis ira decus.
Nanque vel euulſi dentes tua pectora morſu
  Vellunt, & diro à vulnere corda gemunt.
Mox niueo innexi, ceu margaris Indica, textu,
  Virgineo rutilant, pendula pompa, ſinu.
Sic bellè effracti dentes ſimul, improbe, pectus
  Virginis exornant, dilacerantque tuum.

### *D. Thereſia ab Angelo ſagitta tranſfigitur.*

## Epigram. XCIV.

FVlmineus rutilo dum me ferit Aliger enſe,
  Et roſeum grandi vulnere pectus hiat:
Pectus amat vulnus, contortum & fulmen adorat
  Fixaque viſceribus tela triſulca placent.
Namque per effractas ſpirabilis aura medullas,
  Vt recreet calidos, itque reditque, ſinus.

Atque

Atque diu preſſum, rupto ceu carcere, ad aſtra
  Cor agili pennâ, quâ data porta, volat.
Sic medicum eſt fulmen mihi, vitaliſque ſagitta eſt,
  Dira manus reficit; cuſpis anhela leuat.

***D. Caietanus Thienæus Cler. Reg. fundator ab eximiâ paupertate dilaudatur.***

## Epigram. XCV.

INclyta ne calamo ſignes, tenuique papyro
  Facta Thienæi, quæ latuere diù.
Aut onyce, aut fulua ſcribantur Iaſpide, pulchrè
  Exprimat inciſus nomina chryſolytos.
Littera flaueſcat rutilans, illuſa micanti
  Auro: materiâ diuite certet opus.
Ille nouam Cœlo deduxit, & intulit Orbi
  Pauperiem, priſci quam tenuere Patres.
Par erat, vt Tyrio ſpectandus murice, & oſtro,
  Pauper Erithræas fulgeat inter opes.

***De eadem paupertate ad famam multilinguem.***

## Epigram. XCVI.

INiueis præpes pennis, i, fama, volucri
  Curre gradu immenſum, quà patet Orbis, iter;
Indum vltrà, Tanaimque vltra, quà flauus Idaſpes,
  Quà fluit aurato margine, & amne Tagus.
I, lituo ne parce tuo, grandique theatra
  Pulſa ſono, diſcant grandia facta loqui.
Pauperiem mutam ſi reddidit Orbe Thienes,
  Si fuit & tanto ſub Duce muta fames,
Fama loquax nomen celebret latè, oraque centum
  Soluat milleno carmine fama loquax.

B. Caie-

*B.Caietanus Socios alloquitur, dum ex Oppidani Comitis domo diſceſſum adornat. Quod is cenſus annuos prolixiùs inculcaret.*

## Epigram. XCVII.

CEdimus Heroi pubes? dabimusne reuincti
  Dextram illi? & certo fœnore fundet opes?
Sat mihi paupertas ſit nullius indiga virtus,
  Sat mihi pro cenſu diuite trita toga hæc.
Vincite opes animo, ſocij, celeremque mouete
  Hinc greſſum, & largi linquite tecta Ducis.
Cernite, vt aurato perfundimur imbre, lacunar
  Hoc pluit, e tecto ſub Ioue ferte gradum.

*D. Andreas Auellinus Cl. Reg. dum Horarias preces perſoluit, adſtantes Angelos videt.*

## Epigram. XCVIII.

STat manus Aligerum propior, gaudetque canenti
  Plaudere, dum ſoluit penſa diurna Senex.
Miraturque modos linguæ, leſſæque plectra
  Tam benè mortali a gutture poſſe loqui.
Gratas nempè vices tibi Cœlica, Diue, rependit
  Pubes, attenta dum bibit aure melos.
Sepè leui pennà rutilis te te inſeris aſtris,
  Audis & Aligerùm plectra animata manu,
Par erat, vt volucri linquat ſua ſydera pennà
  Aliger, & Cytharà pendeat ille tùa.

D.B.

*D.B. Andreæ clepſydrâ, qua vtebatur, dum ægrotos inuiſeret.*

## Epigram. XCIX.

TRiſtia auet ſenior dum pectora plura mederi,
Ne mora ſit iuſto hic longior, hicue minor,
Fuſilis alterna recluſus puluis in vrna
Metitur refluâ tempora certa vice.
Peruolat Andreas dum paupere clepſydra cintu
Pendet, & innumeras itque, reditque domos,
Menſorem horarum, luſtrantemque omnia ſolem
Aſtriuagum ſi vis cernere, cerne Senem.
Hinc te ne teneant vmbris ſolaria doctis,
Nec doceat poſt hac tempora ſolis iter,
Nam tibi labentes horas cum diuidis: horas
Signabit Phæbo certior iſte Senex.

*B. Andreas Auellinus Extinctus maior tumulo.*

## Epigram. C.

ASpicis, vt tumulum pretioſa cadauera vincunt,
Membraque ter magni non capit vrna Senis?
Menſa eſt vlna vrnam, percurrit longior æquo
Circinus, haud manus, haud ars fuit ipſa breuis.
Maior Auellinus tamen extitit; omnis & extra eſt:
Et ſtupet attonita ars, circinus, vrna, faber.
Scilicet ardebat gelidum pia membra ſepulcrum
Complecti, & grandi vellet hiare ſinu.
Vtque Heroa videt; vincit reuerentia, ſeque
Contrahit, atque breuis fit, minor vrna ſui.

MVSA

# MVSA CANICVLARIS

SIVE

## EPIGRAMMATVM CENTVRIA SECVNDA

Quæ Epidictica, & Parentalis.

*Ad Vrbanum Octauum Pont. Max.*

Pro Solenni Apotheoſi B. Caietani Thienæi Clericor. Regul. Fundatoris, Et B. Andreæ Auellini.

*Alluditur ad lilia Caietano appingi ſolita, & ad Auellini vulnera.*

Epigram. I.

TErgeminus cui fulget Apex, qui fræna Quirini
Aurea, quique Orbis ſceptra ter ampla tenes,
Vrbane, en benè grata tibi procúbit humi Gẽs
Fuſa Thienæi, lambit & ore pedes.
Auſpice Te, nuper rutilis ſe immiſcuit aſtris
Andreas, niueo vellere conſpicuus.
Sydereum nunc thure beas, Pater Alme Thienem,
Atque vaporatis ignibus Ara calet.
Ille roſas cæſo ore refert, huic lilia vernant,
Neſcia arachnæi ſtaminis, atque Coli.
Stemmatis hoſce tui flores Apis aurea libet,
Hæc inter ludat lilia, mixta roſis.

Ad

*Ad Vrbanum Octauum contra fœderatos bellantem.*

## Epigram. II.

DVm fera iuratis armis ſtrepit vndique Enyo,
Vrbane,& latium bella cruenta petunt.
Tu ſenio maior,grandæuo pectore certas,
Armaque non lento Marte latina moues.
Eſt lateri æs triplex,thoraxque adamantinus;ardens
Scilicet eſt virtus corde,animuſque ferox.
Membra terunt non mentem anni; vigor igneus ardet
Ingenio grandes cum tepuere manus.
Magne Senex,Cœli qui tela vicaria torques,
Pone enſem,& mentis cerne trophea tuæ.
En hoſtis,fugiat metuendam vt fulmine dextram,
Pronus adoratos proruit ante pedes.

## Feſti ignes in Mole Adriana

*Pro anniuerſaria Vrbani Pont. Octaui inauguratione.*

## Epigram. III.

CErnis,vt in volucres it Moles Aelia flammas?
Aeris & multo fulguret igne ſinus?
Vittatum Vrbanum celebrat, gemmaſque Tiaræ
Tergeminæ ardentes addere Roma cupit.

Depluit

Depluit occiduo ſed iam fax miſſilis auro,
Auditurque auro flamma cadente loqui.
Credite Romulidæ: priſcum iam labitur æuum,
Aurea & Vrbano Principe, ſęcla pluunt.

## Idem argumentum.

### *Alluditur ad Apes Stemmatis.*

### Epigram. IV.

ARdua pennato Moles quæ fulgurat igne,
Tortilis & feſtâ pergit ad aſtra facę;
Sydera nùm Cœlo geminat, noua ſerta Quirini
Vt pompa celebret ſplendiore Polus?
An monitura diem, Vrbani quam ſerta coronant,
It cita ad ætereas ignea Roma plagas?
At rutilas ne crede faces, volucreſque fauillas,
Serpere quas læto murmure, & igne vides.
Scilicet Vrbani it pinnis fulgentibus ardens,
Fuluaque per Cœlum plurima feruet Apis.
Expectate boni cœleſtia mella Quirites;
Nam ver ætereum iam populantur Apes.

### *Ad Conſtantinum Magnum Templum D. Petro excitantem.*

### Epigram. V.

QVà Vaticano latus explicat area Cliuo,
Ingentique aperit laxa theatra ſinu:

Hic tua,ſydereæ columenque,& Clauiger Arcis,
Auguſtus cenſu diuite Templa locat.
Cæſare quin poſito,trabeàque,& ſyrmate longo,
Ipſe humero Cæſar ſupplice ſaxa vehit.
Inclyta cæſaries fædari puluere gaudet,
Vectaque Romulidum Principe geſtit humus.
Templa tuis humeris,Heros,quam ſplendida ſurgunt,
Quam decorant humeros ſplendida Templa tuos,
Vtraque ſed grandis,media qui conditur Ara,
Quàm decorat cultu ſplendidiore Cinis.

*Romam Romano Pontifici cedit*
*Conſtantinus Magnus.*

## Epigram. VI.

HAec quæ ſydereo certant Capitolia Cœlo,
Hæc fana,hæc vigili culta theatra manu,
Hic Tybris,hi fontes,hæc picta palatia cultu
Mygdonio,hæc titulis inclyta Roma ſuis:
Splendida ſint Petri Patrimonia. Conſtantinus
Chriſtiadum magno donat habere Patri.
Solus in hac Aula regnet,mihi Thracia ſurget
Helleſpontiaco Roma ſecunda mari.
Roma vocet magnos,vidit quos marte ſecundo
Imperij ſceptris addere ſceptra ſui.
Tu,Magne,Imperium latij cùm diuidis Orbis,
Sceptraque cum minuis Romula,maior eris.

D.Hen-

*D. Henricus Cæſar, & Cunegunda Coniuges, & Virgines.*

## Epigram. VII.

O Fortunatos, tali quos lege reuinxit,
Et quos virgineo fœdere iunxit hymen.
Tæda arſit, flammæque toris arſere iugales,
Nec læſit Sanctas mutua flamma niues.
Struxit amor thalamos, auroque illeuit, & oſtro,
Nulla ſed in thalamo diuite ſponſa iacet.
Auguſto dat dextra fidem illibata Marito,
Nec timet à dextra virgine damna pudor.
Nupta innupta manent pulchrè ſic corpora; verſo
Ordine, Virginitas ardet, & alget amor.
Ite gradu volucri illuſtres ad ſydera ſponſi,
Pergite, vos compes pronubæ nulla tenet.

## Ad Hiſpaniarum Reginam,

*Philippo IV. Rege Coniuge contra Catalaunos proficiſcente.*

## Epigram. VIII.

F Rangat vt Auſtriades gladio victore rebelles,
It ſæua æratus caſſide, & ore ferox.
Tu pacem, Regina, domi exarmata tueris,
Lentaque Regnorum dextera fræna tenet.

Aſtræam tu lance refers, Ille enſe Gradiuum,
Tu populos librà, fulmine & Ille regit.
Ille it Celſus equo, ſolio tuque ardua fulges;
Sol illum, Regni te anxia cura coquit.
Ille catenatos premit hoſtes vindice ferro,
Subdita tu facili corda adamante ligas.
Par vtrique labor, par gloria, namque tueri
Regna domi par eſt, ac domuiſſe foris.

*Ad Annam Francorum Reginam,*
*Poſt Regis obitum regnantem.*

## Epigram. IX.

GAllia, quid Regi currentia ſtamina vitæ
Rupiſſe inmiti pollice fata doles?
Aſpice cui parent nunc Regna vicaria, Gallis
Datque ſupercilio candida iura tuis.
Nempè tenet ſceptrum, grandi, quæ ſerta coronat
Indole, & eſt Aulà maior, & Imperio.
Sydereà ſtat fronte decus, mixtuſque verenda
Maieſtate, graui fulgurat ore lepor.
Nil mortale ſonat: ceu Gallica Pallas Ibero
Nata Ioue, ingenio ſceptra, animoque regit.
Indue nunc vultus fato meliore ſerenos
Gallia, pro extincto Principe Numen habes.

## Ad Anglorum Reginam.

***Ad Hollãdos profectã vt auxilia pro Rege Coniuge In turbantes Anglos impetraret.***

### Epigram. X.

ANglia dum Regi violento marte rebellat,
  Et Thameſis rauco murmurat arma ſono.
Tu Batauos generoſa petis,glacialis & Vrſæ
  Iram acuis,Regem vt vindicet vngue tuum:
Mox redis:armata cernit te fronte Britannus,
  Et velut irato à Numine fata timet.
Maſcula vis ardet menti:facis ignea turmis
  Ipſa animos,fortes inſtruis ipſa Duces.
Henrici ſoboles magni:quis dixerit vmbram
  Te Patris?totus lucet in ore Pater.

***Ad Alphouſum Mutinenſium Ducem, Capuccinorum Ordinem ineuntem.***

### Epigram. XI.

ET genus,& faſces Alphonſe,& ſtemmata Auorum
  Contegis,iniecta pauperiore togâ.
Et faſtus meliore premis faſtu,incl ta quando
  Textilis it circum per tua membra cinis.
Magnos cerne Atauos,longo quos ordine telæ
  Spirantes animant,ſculpta vel æra notant.

Ger ne paludatos:æquaſti grandibus illos
Faſcibus;at poſito Principe nunc ſuperas.
Par illis,cum ſcèptra tenes;cum reſpuis,Aulam
Et fugis,es tecto in paupere maior Auis.

## Ad Ioannem Auſtriacum Philippi IV. filium:

*Ob tranquillatas incruento marte turbas Neapolitanos.*

## Epigram. XII.

VIcit,Io. Auſtriacus,ſtrauit non ira rebelles,
Frontis at Auguſtæ mite ſupercilium.
Sat fulmen micuiſſe fuit mox condidit;hoſtem
Fundere nam telo nobili ore placet.
Scilicet,vt vincat,parcit;vincitque viciſſim,
Vt parcat:magni hæc ars generoſa Ducis.
Magnum opus,ardenti ſtrauiſſe cadauera dextrà,
Partaque multiplici ferre trophæa nece.
Munifica viciſſe manu,placidaque;vel alti
Numinis hæc fuerit palma,vel Auſtriadum.

Ad

## Ad Franciſcum Card. Barberinum.

*Extincto Vrbano Pont. Octauo Patruo.*

### Epigram. XIII.

QVi conſanguineo ſublimis culmine nuper
Magne Nepos, mundo iura latina dabas.
Vt latij cecidit Princeps; non ille gubernat
Frena minùs; torques ſceptra nec ipſe minùs.
Vtraque mens curas voluit; latioque relicto
Imperio, faſces vtraque dextra tenet.
Vrbanum ipſe réfers magnum namque indole magna,
Viuit & egregijs moribus ille tuis.
Sic ſpirantis adhuc tu grandia ſceptra miniſtras
Vrbani, ille tuo in pectore regnat adhuc.

## Ad Antonium Card. Barberinum.

*De fonte pre ædibus magnificè excitato, qui Iridem aduerſo ſole repræſentat.*

### Epigram. XIV.

DVm te bellantem, Antoni, galeaque coruſcum
Felſina ſanguineo marte calere videt.
Vrbe ſtruis fontes. Ludunt delphines in vndis,
Et Triton torto murice iactat aquas:
Quodque magis pulchrum; ridet Thaumantias Iris
Fonte ſuper, pictum curuat & vnda ſinum.
Cernite Romulei Antoni miracula. Flagrant
Bella foris; vernat pax ſed amica domi

## Ad eandem.

*Deſcribitur fons idem.*

## Epigram. XV.

SEmiferum Tritona vides:ſtat pectore nudo,
Mutatoque maris gurgite,fonte ſedet.
Curuam inflat concham fluctuſque inſpirat,& vndas,
Arduus & tergit ſydera celſa latex.
Fracta ſed vnda cadit,rorantique Iride pictam
Excipit vndanti margine concha duplex.
Nec ſiſtit;labriſque ruit reuolubilis humor,
Gaudet & in gelido feruere lympha lacu.
Vrbanas hic cernis Apes;nec ſueta ſuſurro
Ora ſonant,circum nec volitare iuuat.
Stant tacitæ:nempè,vt reſonans dum murmurat vnda,
Excipiat plauſus,imbre cadente,ſuos.

### *Ad Franciſcum Cardinalem Montaltum ad Purpuram euectum.*

## Epigram. XVI.

NOmina Montalti faſtis rediuiua latinis
Dum radiata nouo murice Roma videt:
Plaudit,at Heroem geminum dum ſuſpicit,hæret,
Anxia,ſit ne recens ille, vel ille Senex?

Tam

Tam benè Montaltus Montaltum imitatur; vtrique
Par animo virtus, par micat ore decus.
Credite: Romulea haud alter Montaltus in Aula
Purpurat, ille olim qui fuit ille redit.
Aurea nanque illi trabeati ſceptra Quirini
Mors immaturo-funere præripuit:
Hinc rediјt, meritæ reddatur vt Inſula fronti,
Et ſceptra, inuita morte, Quirina regat.

### *Ad Petrum Aloyſium Card. Carafam*

## Epigram. XVII.

INclyta non memorem magnorum inſignia Auorum
Quando ipſe es, Præſul maxime, maior Auis.
Nec quæ Puniceo tibi fluctuat Inſula textu,
Inſula nanque tuis laudibus inferior.
Nec quæ Romuleis errat tua fama theatris,
Egregio ipſa tuo eſt nomine fama minor.
Sydereæ virtus animæ, Celſæque profundum
Conſilium mentis, Relligio, Pietas;
Hæc ſignanda auro, fuluaque in Iaſpide: nempè
Hæc tua; & his vni par, ſimilisque tibi es.

### *Fabritius Carafa Epiſcopus Bituntinus Academiam Inflammatorum inſtituit.*

## Epigram. XVIII.

QVæ, Carafa, tuam mentemque, animumque perurit
Gloria, quæ virtus ignea pectus alit,

Doctas

Doctas illa parit flammas,hinc ferbuit ardens
Pallas,& ingenijs ſubdidit illa faces.
Te Regum ſanguis,clarat teque ordine longo
Fuſa per auguſtos ſtirps generoſa Duces.
Inclyta lux Generis:ſed dum flamma aurea format,
Auſpice te,mentes:clarius inde micas.

*Ad Aſcanium Geſualdum*
*Patriarcham Hieroſolymit. & Archiep. Baren.*

## Epigram. XIX.

TE Bizantinus,te Daunia ſuſpicit ora,
Et geminus ſacro vertice fulget honos.
Scilicet Auguſtæ non ſat fuit vnica fronti
Infula,tot meritis non ſatis vna chlamys.
I modò,& egregij celebres famamque,decuſque
Præſulis, i memores grandia facta Viri,
Vnum non ſatis ingenium,non lingua canendis,
Aſcani,ſatis eſt laudibus vna tuis.

*Ad Didacum Serſalem*
*Archiepiſcopum Barenſem.*

## Epigram. XX.

ADriacus ſupplex dum te veneratur Iapyx,
Et paret frænis Daunia prona tuis.
Didace,præludit grandi manus inclyta ſceptro,
Maius & Imperium diſcit in Imperio.

Nam

Nam tibi ſupremos nent præſcia ſyderà faſces,
Iamque tuos libat ſubdita Roma pedes.
Augurat hoc meritæ Tyberina ad littora fronti
Fama decus, tali & carmine magna canit.
Vix tua caneſcent argentea tempora ab æuo,
Aurea cum facies tempora Romulidum.

*Sigiſmundus Thadæus Epiſcopus Caiacenſis Laudatur ab Orbis peregrinatione.*

## Epigram. XXI.

O Fortunatum, patria cui ſede relicta
Orbis in immenſas contigit ire plagas.
Non latij tenuere lares, non tecta Quirini,
Non quæ natali ſydere terra calet.
Vidit Arar, Rhodanuſque celer, te vidit Iberus
Sæua nec Arctoo terruit Vrſa gelu.
Quid mirum tanto ſi feruet Apolline pectus?
Quid ſi tàm grandi grandia mente capis?
Non Zeno, non Samius, non te docuere Cleantes,
Non quæ Cecropià Pallas in Arce ſedet,
Orbis te docuit: luſtras quot Caſtra, quot Vrbes,
Tot ſunt ingenio docta lycæa tuo.

*Ad*

*Ad Bernardinum Scalam Epiſcopum Vigilenſem De Vitis Sanctorum Fulgentij, & Pulcheriæ, quas adornauit.*

## Epigram. XXII.

FOrmoſis formam, lucem Fulgentibus auges,
Cum tua percurrit grandia facta manus;
Virgineo ſat pulchra ſuo Pulcheria vultu,
Pulchrior eſt, calamo nobilitata tuo,
En nunc fulgidior rutilat Fulgentius Orbe,
Cum ſacra egregijs exprimis ora notis.
I, fama, hæc celebres Scalæ monumenta; nil vſquam
Fulgidius, toto & pulchrius Orbe micat.

*Ad Antonium Andriæ Ducem Alluditur ad ſtateram, Gentilitiam teſſeram.*

## Epigram. XXIII.

INdignata olim terras Aſtræa relinquens,
Ardua pennato fugit ad aſtra gradu.
Antoni, vt pulchrè ſceptrum modereris Auorum,
En nunc è rutilo gratior Axe redit.
Axe redit rutilo; libramque, enſemque coruſcum
Splendida munificà dat tibi dona manu;
Aſpicis Aſtreæ egregium, Dux inclyte, munus?
Enſis ineſt lateri, ſtemmata libra tenet.

Ad

*Ad Hectorem Caraſam Andriæ Ducis fratrem Senioris Hectoris Ruborum Comitis exemplo Inflammatur*.

## Epigram. XXIV.

Edite mngnanimo, claroque ab Sanguine Reg
Magnis, Hector, Ais lumina flecte tuis.
Cerne tuæ Gentis priſcum decus Hectora, cuius
Egregium ipſe refers nomen, & omen habes.
Quo te belligeri Herois vocat ardua virtus,
I, ſequere, & ſæua Caſſide cinge Comas.
Armatas irrumpe acies, ferroque coruſco
Fortia ſterne ferox agmina, ſterne Duces,
Exprimat inuicti inuictus facta Hectoris Hector,
Omina dant vires, nomina dant animos.

*Ad Albricium Vetranæ Principem, tuentem facunde in Bituntina Inflammatorum Academia, pulcherrimum fœminarum ornamentum eſſe honeſtatem*.

## Epigram. XXV.

Non te candidulà ludens ceruice Capillus,
Non quæ florenti ridet in ore charis.
Non te frontis ebur non purpura grata genarum,
Non capiunt vernis picta labella roſis.
Sed pudor, & Sancti Cæleſtis fulgor honeſti,
Atque verecundum fronte ſupercilium.

Illiba

Illibata tuæ quàm belle mentis honeſtas,
Albrici, è lingua candidiore micat.
Par morum, ingeniíque decus; niueoque profana
Nulla Venus Calamo, pectore nulla Venus.

### *Ad Dauidis Regij Vatis Lyram.*

## Epigram. XXVI.

HAec illa Iſſacidum Regis pulſata volucri
Pollice, & arguta voce loquuta Chelis.
Nunc elegos pangit triſtes, lachrymàque diſertà
Flebilis ad numerum non ſua facta gemit,
Nunc canit Heroas; nunc & vicinior aſtris
Feruet Olympiaco pectine plena Deo.
Olim Ieſſidæ, nunc eſt Commune canentum
Barbiton, & mundi publica facta lyra eſt.
Hanc Orbis ſonat Occiduus, ſonat Orbis Eous:
Sic breuis eſt grandi grandior Orbe lyra.

### *Tabula, in qua Homerus, Virgilius, Taſſus.*

## Epigram. XXVII.

HIc geminos Graià velatus Daphnide Atridas,
Pelidem, & Troiæ Pergama fuſa canit.
Concinit hic latio facundam Aeneida plectro,
Fixaque Romuleis Dardana ſigna iugis.
Tertius Hetruſco ſat clarus Apolline, forti
Pangit Idumæis rapta trophæa manu.
Tergemina par fronte decus, par Phæbus in ore,
Aemula ſed certant plectra canora ſimul.

Pie-

Pierio ceu Marte calent;furor Entheus ardet;
Sit ne ille,incertum,victor,an ille Lyra?
Vincis,Io,Torquate;canis dum prælia Idumes
Palmiferæ,eſt muſis debita Palma tuis.

## *In Homeri effigiem.*

## Epigram. XXVIII.

VIttatum,cinctumque vides Parnaſſide Lauro
Mæonidem,ſpirat viuus in ore labor.
Numine ceu rapitur,Phæboque agitante caleſcit,
Sacra furor pulſat pectora,pulſat ebur.
Iliaco calet igne Lyra,acceditque Pelaſgas,
Totus & in vultu fulgurat Aeacides.
Par Ducibus Smirnæus Olor,ſimiliſque canendo,
Bellica dum grandi carmine plectra furunt.
Hoc diſpar:cecidere armis fumantia Achiuis
Pergama;Mæonio at carmine Troia redit.

## *Ad Virgilium Maronem.*

## Epigram. XXIX.

IN Latium grandes Troiano ex igne fauillas
Duxit,& ex illo claruit igne Maro.
Pierio mox bella refert Laurentia plectro,
Bellaque ſunt Cytharæ pulchra trophæa ſuæ.
Tandem victricis fundat Regna inclyta Romæ,
Et canit Aeneadum ſceptra Quirina Ducum.
Magnæ molis opus,Romanam condere Gentem,
Et latios armis tot ſuperaſſe Duces.

Tot latios ceciniſſe Duces,grandique cothurno
  Gentem Romulidum pangere,maius opus.

*Ad Torquatum Taſſum.*

## Epigram. XXX.

CHriſtiadum lectas acies,& Gallica ſigna,
  Exanimiſque Dei dum monumenta canis;
Muſa tibi pietas,Deus eſt crinitus Apollo,
  Laurus Idumæis Palma rigata iugis,
Barbiton electro diſtinctum diuite,& auro,
  Ieſſæus fidicen dona ſuperba dedit.
Eſtque Sionæus vertex pro Colle bicorni,
  Caſtalius vitreo qui fluit amne Cedron.
Grandiùs hinc ſolito reſonas,Tumulumque Tonantis
  Taſſe,pari celebras carmine,& arte pari.
Et tua,ceu Phæbi reparabilis Ales,àb Vrnà
  Aeternam ducit fama diſerta diem.

*Ad P. Papinium Statium.*

*Alluditur ad Thebaidem, Achilleidem,Syluas.*

## Epigram. XXXI.

FAta cothurnatum Vatem Thebana canentem
  Perlege,& egregijs prælia texta modis.
Perlege Achillæos ſeu prima pube labores,
  Seu quæ ſæua iacit ſpicula adulta manus.

Si te feſſum armis rorantia ſanguine tela
  Cernere, totque piget vulnera, totque neces.
I Syluis, docto quas ventilat aura ſuſurro,
  Phæboque admiſſo, textilis vmbra beat,
Hic myrto, lauroque leues tua pectora; quantùm
  Martius horriſono terruit enſe furor.
Fallor: non acies, ſtati, non tortile fulmen,
  Te Vate, haud terrent prælia tela, cruor.
Scis mulcere neces; cultoque in carmine vernat
  Mars acer, rident vulnera, bella placent.

## *Ad Lucanum.*

## Epigram. XXXII.

BAetice, grandæuis primo par vatibus æuo,
  Ciuica quàm grandi carmine bella canis.
Cognatis certare odijs àrma inclyta, victum
  Victoremque pari clade nocere doles.
Diſcerptumque canis Romano Marte latinum
  Corpus, & Aematijs oſſa iacere plagis.
Indolet aduerſo Magnus pugnaſſe Gradiuo:
  Indolet infracto pectore damna Cato.
At dum tu lituos animas Lucane, ſerenat
  Fronte hilari vultus Victus vterque ſuos:
Sic nempè egregio penſant fata improba plectro,
  Amplaque vel victi ferre trophæa putant.

*Ad Ouidium Naſonem.*

## Epigram. XXXIII.

QVæ nimiùm molli, Naſo, teneroque ſuſurro
Concinit ambroſio e gutture Muſa tuo,
Plectitur heu nimium durè, namque exul ad Arcton
Cogitur immeritas ſuſtinuiſſe niues.
Sed minùs haud calet ingenium, nec plumbea multo
Stricta gelu, nullo murmure vena riget.
Frangere ſcit Cæli genium, ſcitque otia Phæbi
Ducere ad Arctoos inclyta Muſa Getas.
Abſtulerit Tybrim Cæſar, colleſque Latinos,
Non Hippocrenem, non Helicona neget.
Nam dum Muſa fauet, Tanais pro flumine Sacro,
Naſo, tibi eſt, Scythicus Caucaſus eſt Helicon.

*Ad Pindarum.*

## Epigram. XXXIV.

ARduus, ô Fidicen Cytharæ, Muſæque profundæ
Cultor, Apollineæ Dux, Dominuſque Lyræ.
Feruida Olympiacas dum circuit Orbita metas,
Sudat & Elæo in puluere anhelus equus.
Tu celeres inter miſces plectra aurea bigas,
Nectis & Heroum ſerta diſerta Comis.
Illuſtres Animæ, gemina quas laude coronant
Hinc olea, hinc doctæ fila operoſa Lyræ.

Pindaricis vos Muſa modis plus incly ta claraſ,
Quàm leuis aligero curſu agitata rota.
Namque ad Piſæas ſonipes dum currere metas
Credit, Dircæo pectine ad aſtra volat.

## *Ad Horatium Flaccum.*

## Epigram. XXXV.

DAunia quem genuit Muſis, & Appolline ſacro
Imbutum, Pindi in vertice plectra beant:
Seu canit ad Cyathum, Campana & vina coronat
Siue cupidineas ventilat arte faces.
Seu tendit grandes laudato Cæſare neruos,
Seu premit, arguto carpit & vngue forum.
Illimis velut vnda fluit, ſed turbidus auro
Interdum it nimio fuluus vt amne Tagus.
Nempe nitor verbis, ſimul eſt, & copia diues,
Munditie ſimplex, cultaque tota lyra eſt.
Ne lyrico tu, Flacce, fores in carmine primus,
Thebanus grandi Pindarus ore facit.
Ne foret at ſolus, lyricum qui verberet aurum
Pollice facundo Pindarus, ipſe facis.

## *Ad Sappho Poetriam Lyricam*

## Epigram. XXXVI.

IMplicat haud auro crines leſboa Puella,
Sed lauro, & doctà tempora fronde virent,

Non ceruice cadit ſplendenti pendula gemma,
 Pectore ſed niueo pendet eburna chelis.
Nec minio vultus ornat; Permeſſide lympha
 Tergitur, & puro proluit amne genas.
Nempe ſuos temnit facunda Poetria cultus;
 Et iuuat Aonias excoluiſſe Deas.
Parcite Pierides: quæ veſtro eſt purpura vultu,
 Pectore quæ gemma, aut crinibus; illa dedit.

## *Ad Actium Sincerium Sannazarium:*

## Epigram. XXXVII.

QVæ mouet auratum facundo pollice plectrum,
 Dextra, per armonicas itque, reditque fides;
Non acies, non facta Ducum; ſed Numina pangit,
 Numina Virgineo pulchrè animata ſinu.
Barbiton è cunis grandeſcit, & vbere pleno
 Virginis æthereæ lactea vena fluit.
Non humili ſordet ſtipula, ſed diuite cultu
 Pulchriùs auguſto è ſtramine muſa nitet.
Quàm benè ſydereis immixtus oloribus, Acti
 Dulcis olor, terris Numina fuſa canis.
Nimirum Superas ſuperet qui carmine Muſas,
 Vincat & Aligeros pectine, nullus erat.

Ad

*Ad Iulium Cæſarem de Commentariis.*

## Epigram. XXXVIII.

PRælia, quæ pugnas, Cæſar, victricia, ſtricto
Par enſi, & Calamo dextra diſerta notat.
Enſe ardes, ſcribiſque ſtylo; ſimul vtraque tractas,
Facunduſque chalybs eſt, calamuſque ferox:
It cultus ſermo, ſordet dum puluere crinis:
Dum rutilat ferro dextera, verba nitent.
Quis tua vel ſuperet, Cæſar, monumenta, vel æquet,
Quæ dictas palmas inter, & arma vigil.
Scriptores merito Graios, latioſque triumphãt;
Nempe triumphali ſcripta fuere manu.

*Ad Criſpum Salluſtium.*

## Epigram. XXXIX.

SCribis pauca breuis: calamo nec multus anhelum
Ingenium haud laſſas, Criſpe, animumque premis.
Exiguâ totus ſpiras in imagine; tota
Spirat in exiguis inclyta imago notis.
Quin breuis immenſum te fecit pagina, famâ
Grandior, & parua es magnus in Hiſtoria.
Cumque oneret libri te nulla lacinia fuſi,
Quid mirum laudis ſi bene curris iter?

### *Ad Titum Liuium.*

## Epigram. XL.

Res latias, Liui, orſus, incrementa, triumphos,
Deſcribit cultà mens operoſa manu,
Nec te preſſa iuuat facundia, diffluis ore
Magnifico, & largo voluitur amne ſtylus.
Incertum, annę tuo calamo plus debeat? enſi
An plus Romulidum Gens trabeata ſuo?
Diuiſum at decus vtrique eſt. Quod vicerit Orbem
Immenſum, debet Martia Roma ſibi.
Inclyta quòd tempus reuolubile vincat, & æui
Fama vices, debet Martia Roma tibi.

### *Ad Cornelium Tacitum.*

## Epigram. XLI.

Romanæ Scriptor, cenſorque acerrimus Vrbis,
Aſpicis, Annales voluat vt ipſe ſuos?
Ipſe ſuum miratur opus: qua cuſpide vibret
Sermo? qui calamo ſplendor, & ore nitor?
Quiue lepor ſalibus? preſſis quæ copia verbis
Aurea? quæ cultu diuite pompa breuis?
Corneli, lingua cum ſis facundus, & ore
Grandiloquo, Taciti quam benè nomen habes.
Nempè mones, nullum te voluere poſſe, diſerta,
Quin ſtupeat tacitus, quæ monumenta legit

*Ad Lucium Florum.*

## Epigram. XLII.

MArtia quæ toti victrix Gens intulit Orbi,
Contrahis in paruum bella operoſa librum
Nec minuis palmas, tenuas nec, Flore, triumphos;
Detrahit haud magnis pagina curta Viris.
Quin ſignata breui calamo, preſſâque papyro
Creſcit ab exiguis Roma ſuperba notis.
I, facunde, ſtylo, & lingua facundior omni
I, Flore atque omni grandior hiſtoria.
Namque voluminibus clauſiſſe ingentia magnis,
Tritum opus ingenijs eſt, tenuiſque labor.
Magna ſed in paruo deſcribere margine facta:
Hic opus, hic magnis eſt labor ingenijs.

*Ad C. Plinium de Naturali Hiſtoria.*

## Epigram. XLIII.

QVæ ſecreta latet rerum Natura, videtur
Ceu tibi nuda ſuos explicuiſſe ſinus.
Nudatam, Plini, non impiger exprimis arte,
Facunduſque poteſt membra animare color.
Palpitat illa tuo, pubetque volumine, floret,
Aureſcit, gemmat, gignit, alitque Parens.
Magna audet, gaudetque in paruis, ſeria tractat,
Et ludit, varium & dædala fingit opus.
Naturam pingis? fallor: nam diuite lingua
Exprimitur chartis ars operoſa tuis.

## *Ad C. Plinium Nepotem. de Panegyrico ad Traianum.*

## Epigram. XLIV.

DVm Tarteſſiaco, Plini, ceu ditior amne
  Volueris, Auguſti & facta diſerta referſ:
Te dignus Cæſar, dignus tu Cæſare; cultæ
  Par meritum linguæ, linguaque par merito:
Romula plauſerunt ſubſellia laudibus æquis;
  Fronte pari it nomen Cæſaris, atque tuum,
Sic æqua bellè contendis lance latino
  Cum Ioue, non ille eſt grandior, ipſe minor.
Quin ſuperas, Plini: maior tu Cæſare; magnum
  Namque tuis illum laubibus ipſe facis,

## *Ad Lucium Annæum Senecam, Sibimet mortem conſciſcentem venarum Sectione*

## Epigram. XLV.

NOn Senecam tua iuſſa, Nero, non prona ſecuris
  Non tantum frangit mors properata Virum,
Stat fronte impauidus; ruit ipſe, & dira laceſſit
  Fata, nec expectant inclyta colla necem.
Scilicet exertat, fortes nudatque lacertos,
  Et ſecat intrepidus brachia nuda chalybs.
It cruor irriguus, viſo ardeſcitque cruore,
  Sumit & hinc animos, dum cadit exanimis,

In-

Infracti pallent vultus, morientia virtus.
  Ora implet, dubium, flet Seneca, ànne cadat?
Scis, cur debilitet venà exundante lacertos?
  Langueat exauſto & ſanguine lenta manus?
Fortunam voluit ſic contempſiſſe; docetque,
  Deijcere exangui vel potuiſſe manu.

## *Ad Lucium Annæum Senecam Diuitias damnantem, cum eſſet ipſe opulentiſſimus.*

## Epigram. XLVI.

DIuitias carpis, lydum proſcindis & aurum,
  Queque Parethonio eſt vomere culta ſeges,
Gemmaſque, & pictà lucentia marmora venà
  Carpis, & Oebalio vellera pota cado.
Sed calamo tenus: Attalicum nam congeris aurum,
  Annæe, & luxu diuite tecta placent.
Aula placet Pharijs & picturata tapetis:
  Tota ebur, & tota eſt Indicà gemma domus.
Inſectaris opes, ſimul & ſectaris, & ipſas
  Ingenio damnas, ingenioque paras.
Pauperiem calamo celebras non amplius vno;
  Iugera millenà at falce ter ampla metis.

*In Petronium Arbitrum. Qui puriſſimè impuritatis Auctor vocatur à Lipſio.*

## Epigram. XLVII.

PEtroni, latij decus,& pudor; aurea fandi
  Copia quem fœdat,nobilitatque ſimul.
Sunt nitor,& maculæ verbis;facundia floret,
  Et marcet;niueo ſordet & ore Venus.
Luteolis intexta roſis,lutulentaque charta eſt;
  Illimis,tota eſt limus & vnda tibi.
Hoc mirum:eſt puro tua lingua ſimillima riuo,
  Nec maculas vitreo perluit amne ſuas.
Petroni,latijs malè ſordibus inſeris aurum,
  Mens alia,aut alius debuit eſſe ſtylus.

*In Iuſti Lipſij Effigiem.*

## Epigram. XLVIII.

LIpſius hac ſpirat tabula,ſpiratque diſertis
  Inſcriptis melior Lipſius ipſe ſuis.
Pinxit Apollineâ ſe telâ; ſcripſit & ora
  Pictor Apellæis ingenioſa notis.
Vtra eſt effigies,vultuſque perennior æuo?
  Illa diù viuet forma vel illa diù?
Inclytus arte tua es,Lipſi;ſi pingit Apelles,
  Fluxilis es,calamo pinge,perennis eris.

*M. Tullij Ciceronis lingua acu ab Antonij Coniuge confoditur.*

## Epigram. XLIX.

IMperij columen latij caput obijcit enſi
  Tullius,& ferro colla diſerta cadunt.
Sectus apex multo exundat dum ſanguine,linguam
  Exertam mulier cuſpide dira ferit.
Quæque tot ardenti vibrarat fulmina ab ore,
  Nunc ſæua exiguæ ſpicula ſentit acus.
Siſte;corhurnatam vexas quid cuſpide linguam?
  Acriùs illa ſuo ſæuiet eloquio.
Nam ſi tantùm erſit,non irritata,loquendo;
  Quàm furet aſſiduo vulnere læſa tuo?

*Roma diruta.*

## Epigram. L.

ORa quid hic quæris latiæ ſpirantia Romæ?
  Hoſpes,& auguſta in fronte ſupercilium?
Roma abijt,priſci vultus abiere; latinas
  Relliquias,Romæ & membra iacere vides.
Arcubus exeſis hæc pendula ſaxa,columnæ
  Hæ mutilæ,hæc æui fuſa theatra vice.
Si neſcis,magna ſunt oſſa ingentia Romæ,
  Sparſaque per latias corpora magna vias.
Scilicet,interiit tota,at non tota ſepulta eſt,
  Impar ipſa ſui funeris Vrna fuit.

Molibus inniti æternis quid profuit Vrbi?
Septenique humeris incubuiſſe iugis
Occidit,& quam ſublimis ſuper ardua ſedit
Culmina, tam Romæ vaſta ruina fuit.

### *Roma eadem diruta.*

## Epigram. LI.

QVæ ſeptingemino conſederat ardua monte
Roma,coronato & vertice iura dabat.
Non icta horriſoni rutilo Iouis igne,nec enſe
Militis hauſta,ſuo at pondere victa ruit.
Nil cernis magnæ frontis,nil vertice Sacro
Auguſti,haud priſcum fulget in ore decus:
Dum cadit,immotà ſtant colles fronte latini,
Seque infrà attoniti diruta tecta vident.
Nempe ſtupent;validiſque pudet fulcire cadentem
Tantam molem humeris non potuiſſe ſuis.

### *Neapolis.*

## Epigram. LII.

PArthenope,pulchra Elyſij florentis imago,
Ver Orbis,Cœli pars,Genijque lares:
Et Charitum cunæ,craterque auratus Amoris,
Naturæ eximium luxuriantis opus.
Dædala te pingit tellus, te purus inaurat
Phæbus,te vitreo perluit vnda mari:

Fonte

Fonte ſalis,ſurgis colle:hic Sol igneus alget;
Hic gelida hyberno ſydere bruma tepet.
Vndique delicias Cœlum eliquat,vndique Numen
Pampineum liquido nectare dulce madet.
At propè te flagrant pendentia ſaxa Veſæui,
Baianuſque ſinus flagrat.& Inarime.
Tantæ nempe decus formæ vel Saxea cogit
Pectora, Parthenope,feruere amore tui.

## *Capua.*

## Epigram. LIII.

AEmula turritæ Carthaginis,æmula Romæ,
Par Capua ingenti nomine vtrique fuit.
Non ſpatio,tractuque minor,non mænibus altis,
Non auro,aut Phrygio marmore culta minus.
Nec Marte inferior: Campanus vt ardeat enſis
Non vno excepto vulnere Roma docet.
Nunc Capuæ tumulus Capua eſt,florentis & Vrbis
Cernitur,heu,nullo vel leuis vmbra loco.
Abdita nempe ſuis extincta cadauera terris,
Tota latent;frontem,magna nec oſſa vides.
Conſcius eſt Cineris Vulturnus,id ore perenni
Murmurat:heu,Capua hic illa ſepulta iacet.

*Taren-*

*Tarentum.*

## Epigram. LIV.

CErne Phalantæi ſublimia tecta Tarenti,
Daunia cui quondam ſceptra ſtetere manu.
Nobilitata mari,& Cœlo; portu inclyta,Cultis
Sat clara ingenijs Vrbs,genioque ſoli
Diues opum,Tyrijque oſtri,celeberrima luxu
Regifico.Aſſyrio rore,meroque madens.
Delicias inter ſæuis efferbuit armis,
Mouit & in latios bella cruenta Duces.
Certatum. fato at cecidit,victumque Tarentum eſt,
Viſaque Tarpeio præda ſuperba iugo.
Roma,Tarentinas ne iactes Dardana palmas:
Falleris:haud ingens eſt,ſuperaſſe labor.
Vicerat illecebris ſe primùm molle Tarentum:
Vincere iam victum,quam leue Martis opus.

*Panormus.*

## Epigram. LV.

TRinacriæ Regina ſedes,formoſa Panormus,
Inclyta & auguſtà in fronte Corona tibi eſt,
Namque recuruati facto diademate colles,
Innectunt dominis regia ſerta Comis.
Flaueſcit Sicana Ceres tibi,nectare fuſo,
Trinacrius feruet Bacchus & ipſe tibi.
Aetna tuis pompis lucet.tibi floribus Enna
Vernat, mella tibi roſcida & Hybla liquat.

Audis

Audis ab indigenis Concha aurea: vellet adulta
Hac iterum Conchâ velificare Venus.
Nec meritas æquant laudes hæc nomina; quando
Non Concha, ut pulchra es Margaris Auſoniæ.

## *Meſſana.*

## Epigram. LVI.

VRbs bimaris, gemino celebrant quam murmure latè
Tyrena & Tethys, Doris & Ionia.
Lunaris: curuoque tuo formoſa theatro,
Spectatrix, ſimul & ſcena ſuperba tibi es.
Eſt geminus lateri cuſtos: hinc ſæuus Orion
Stat Cœlo, forti hinc arce Pelorus adeſt.
Scylla fremat, latretque tuis vicinior vndis,
Horriſona haud toruæ Virginis ora times.
Namque Italas inter, ceu Luna, auguſtior Vrbes
Creſcis, dum rauco murmure Scylla latrat.

## *Siracuſa.*

## Epigram: LVII.

PAr Vrbs Trinacriæ quondam, ſeu grandior: vna,
Multaque; ſe prior eſt Vrbe quatergeminâ.
Terruit Auſoniam, tantaque à mole ruinam
Imperio timuit Dardana Roma ſuo.
In cinerem nunc lapſa breuem, ceu tota ſepulta eſt,
Tantula vix tanto è corpore & oſſa vides.

Alpheus

Alpheus gelidâ feruet non amplius vndâ,
Iamque oblita ſuas eſt Arethuſa faces.
Nempè vacant lachrymis iunctis & fletibus Vrbis
Tantæ perpetuo flumine fata gemunt.

*Drepanum.*

## Epigram. LXIII.

PRoſpectat Lybicas Drepanum, ceu terreat, oras,
Tyrrenaſque ſuo ſub pede frænat aquas.
Subdita dat gremio pretioſa Corallia Doris,
Et Domino pendit iuſta tributa ſuo.
Stat propior frondoſus Erix; vernatque, viretque,
Nectat vt egregijs laurea ſerta Comis.
Magnanimi Anchiſæ tumulo claratur, & vmbra,
Et decorat famam Dardanus ille cinis.
At falcis formamque refert, & nomina; nempè
Pulchri quicquid habet Sicelis ora, metit.
Annorumque vices cum iam ſuperauerit; vncam
Falcem æui, velut ex hoſte, trophæa tulit.

*Florentia.*

## Epigram. LIX.

VEr facis Italiæ pulchrum, Florentia, cultis
Ingenijs flores, nomine fama, opibus.
Nuſquam non rident violaria picta, ſuperba
Murice Romuleo vernat vbique roſa.

Tortilis

Tortilis it medius ripis vernantibus Arnus,
Et vitreo flores irrigat amne tuos.
Quæque cadit Parijs ex Aedibus vmbra, tuetur
Areolas acri à ſydere, & ipſa tuas.
Sic bellè æternas, quæ florum eſt fluxilis ætas,
Aeuumque æterno vere perenne tuum eſt.

## *Bononia.*

## Epigram. LX.

HAec illa eſt Mater ſapientum Felſina, & altrix,
Publica cui vigili è fronte Minerua docet.
Orbis Athenæum, Muſarum Aula, Vicaria Graiæ
Palladis, Arx Sophiæ, Porticus Italica.
Hæc Orbi ingenia, ingenijs decus aſſerit vna,
Texit & hæc capiti ſerta, humeriſque togas
Quæ vox grandiloqua it tua per gymnaſia, grandi
Dat ſonitum famæ, Felſina culta, tuæ.
Vrbes iure Italas inter Sola ipſa triumphas,
Namque tuas redimit laurea docta Comas.

## *Venetia.*

## Epigram. LXI.

CAeruleis Vrbs orta vndis, Veneriſque gemella eſt,
Cypride & eſt pulchrà pulchrior illa magis.
Regius eſt vultu ſplendor, frons libera vernat,
Dat ſua maieſtas iura ſupercilio.

Ore color mixtus, niueo hic è marmore candet,
  Hic rubet Heroum è murice picta genas.
Cura ſenum longos innectit ſedula crines,
  Ardet & in roſeis vis pretioſa labris.
Nunc habitu ſimplex, pompam ceu ſpernat & aurum,
  Nunc fluit auratis ambitioſa togis.
Nil acre ingenium, nil ars formoſius vnquam,
  Naturæ aut faciles compoſuere manus.
Vndaque ſtat bellè propior chryſtallina: formam
  Par erat, vt ſpeculo cerneret ipſa ſuam.

*Verona.*

## Epigram. LXII.

EGregias Natura tibi dedit impigra laudes,
  Verona, & laudes ars dedit ipſa tibi.
Ductilis has Atheſis puro chryſtallinus ore
  Exprimat, & facili murmure concelebret.
Has reſonent celſo, quæ culmine cernis ad aſtra
  Surgere ter magno pulchra theatra ſinu.
Has tandem arguto celebret tuus ore Catullus,
  Aurea cui ſacro è pectore plectra ſonant.
Nil opus externis, tua culta theatra, tuuſque
  Amnis, facunda & te tua Muſa beat.

*Patauium.*

## Epigram. LXIII.

TRoicus Euganeas Antenor pergit ad oras,
Condit & hæc forti mænia celſa manu
Armigero at quamuis Vrbs hæc ſit nata Parente,
Et ſtudia,& doctæ munera pacis amat,
Namque Mineruales oleæ hic frondentis ad Vmbras,
Doctiloqua,adiunctà Pallade,Muſa docet.
Sic pulchrè Antenor dum diruta mænia Troiæ
Inſtaurare ſibi,Pergama & alta putat.
Surgere Graiugenas Phrygius miratur Athenas,
Condere & Iliacà Græca lycæa manu.

*Vicentia.*

## Epigram. LXIV.

EGregios iactas atauos claroſque nepotes
Atque paludatos ſæua per arma Duces,
Tectorumque minæ tibi ſunt,Vicentia,& auro
Cultæ ædes,pictis Templaque celſa tholis.
Sydere Cælum ardet puro,liquidiſſimus äer
Diffluit,eſt tellus florea,culta ſeges.
Sunt hæc magna quidem decorum momenta,ſed omnes
Inclyta laus laudes opprimit vna tuas.
Nempè Thienæum das Cælo,nobilis Ara
Cui fumat Cylica meſſe,Arabumque focis.
Ille Thienæus,ceu ſydus grande,minores
Luce ſua laudes opprimit ille tuas.

*Ferraria.*

## Epigram. LXV.

CVm tibi ſint lydo laquearia picta metallo,
Cultas perque domos aurea tota mices,
Flumine & irriguo cum ſis argentea, namque
Te ditat nitido fuſilis amne Padus.
Cum Phaetontiades decorent te diuite electro,
Gemmatumque notet lachryma fulua ſinum.
Cur tibi prædurum nomen, Ferraria, ferrum
Indidit? atque aures vulnerat ipſe chalybs?
Aurea ſed rutiles, argentea, gemmea, vt vrbem
Orbis amet: ferrum fulguret, vt timeat.

*Genua.*

## Epigram. LXVI.

REginam Ligurum, Ganges quàm diues inaurat,
Pactolúſque rigat, fuluus & amne Tagus;
Vidimus, atque auro ſqualentia tecta, manuque
Attalica vectas vndique diuitias.
Vrbi Ianus adeſt: rerum & tutela, biformi
Fronte quatergeminis excubat ille oculis.
Nempè opibus tantis non ſat frons vna tuendis,
Iure quatergemino lumine Numen adeſt.

Man-

*Mantua.*

## Epigram. LXVII.

EN Picturatis pulcherrima Mantua tectis,
Spirat Parrhaſijs Vrbs animata notis;
Cultu pulchra ſuo picto fit pulcrior oſtro,
Ceu ſuperinducto murice fuſa genas.
Mincius hinc ardens gelidis argenteus vlnis,
Totam ambit, collo, & brachia nuda iacit.
Fulmine & intorto ceu peruigil excubat anguis,
Vrbis inacceſſas vt tueatur opes.
At laudes facunda tuas canat vmbra Maronis,
Mantua, tam grandis ſubdita Muſa tibi eſt.
Magnis nempe tuis tantum par laudibus Ille eſt,
Pergama qui cecinit Romula, & Aeneadas.

*Mediolanum*

*Alluditur ad arcem longè muntiſſimam.*

## Epigram. LXVIII.

VRbs ingens vaſto ſe ſe explicat ampla theatro,
Par ſibi, nec magno ſe capit ipſa ſinu.
Auguſtum caput Inſubriæ, inſuperabile vallum
Auſoniæ indigenis Arx alijſque metus.
Italiæ Natura dedit pro turribus Alpeſ,
Munijt & celsà Regna latina niue.
Nil valuere niues, & ſaxa audacia; condit
Ars Italis arces ingenioſa nouas.
Cernis opus mirum quod non potuere niuali
Fronte Alpes, Vrbs hæc fulmine, & ære facit,

*Taurinum.*

## Epigram LXIX.

QVæ iacet ætereis Vrbs clara ſub Alpibus, ipſis
 Alpibus eſt fama celſior, & meritis.
Irequieta placent arma hic, calet inclyta virtus,
 Vicinoque ardent pectora magna gelu.
Nomina dat Taurus; Tauro ſed forte ſub illo
 Mutato haud vnus Iuppiter ore latet.
Allobrogum nam perge Duces numerare; tot acri
 Fulmine terrificos eſt numerare Ioues.

*Pariſij.*

## Epigram. LXX.

ASpice Lutetiam, quam ceu partitur in Vrbe
 Multiplices prono flumine Gallus Arar.
Aſpice; non vnam dices, par millibus Vrbs eſt
 Inclyta, Regna putes hic coijſſe ſimul.
Tot populis feruet. tot grandibus aëra tectis
 Anguſtat, tantum laxat & ampla ſinum.
Diſpare & ingenio claret: nam bellica Marte
 Tota ardet, docta & Pallade tota calet.
Iam Mars Sequanicus factus: iam Gallica Pallas;
 Lutetia, & pulchro fædere vtrumque vides.
Nec mirum tantis ſi implet terroribus Orbem,
 Totque ſimul palmas Vrbs generoſa ferat.
Nam geminis armis, duplici metuendaque ferro eſt;
 Hinc Martis, ſæua hinc Palladis haſta ſonat;

*Conſtantinopolis.*

## Epigram. LXXI.

HEllespontiacis quà Boſphorus æſtuat vndis,
Incubat Odryſio Roma ſecunda mari.
Excitat hæc olim ſublimia Conſtantinus
Mœnia, deque ſuo nomine nomen habent.
Altera fræna Orbis, latiæ par omnia Romæ,
Faſcibus, imperio, mole, nitore, ſitu.
Sydera ſepteno ſubit ardua monte, columnis
Interſtincta ſuis amphiteatra ſonant.
Laxatur, feruetque forum, patet area Circi,
Tarpeius celſo & vertice ſurgit apex.
Aeui at cerne vices: Romani Cæſaris Aula
Inclyta, nunc grandis, Thrax leo, caula tua eſt.
Quàm nunc clara minus, rutilet licet ore bicorni,
Vibret & aſſiduum Thracia luna iubar.

*Ad Hippolytum de Conſtantio.*

## Epigram. LXXII.

TE genuit Siren, fouitque Polymnia in vlnis,
Teque aluit roſeo nectare fuſa charis.
Threijcius dedit auratas teſtudine cumas
Orpheus, Aſcræi plectra fuere ioci.
Hinc ventura tuæ doctæ miracula linguæ
Præſcius vt vidit, talia Phœbus ait:
Quam benè Parnaſſum effinxit Natura bicollem,
Imperium vt mecum diuidat Hippolytus.

### *Ad auſpicatiſſimas Viri Principis Nuptias.*

## Epigram. LXXIII.

IVnge amor ardentes animas, clariſque hymenæis
Heroas pulchra compede necte duos.
I, Venus, i procul è thalamo; ſit pronuba Virtus;
Sydereo tædam lumine quaſſet honos.
Gemmatum digitis formoſis inſerat aurum
Sancta fides, texat candida pepla pudor;
Stent circum charites, vernanti gloria vultu
Rideat, & fauſto carmine plaudat. Io.
Hoc celebres cultu, pulchro quæ fœdere iuncta
Connubia egregios ſunt paritura Duces.

### *Ad inſignem Cantatricem Roma in Galliam proficiſcentem.*

## Epigram. LXXIV.

SAt Tybris auritus, prona & Capitolia, cantu
Sat latij colles inſonuere tuo.
Altera Regna vocant; I quò tibi nuncia plaudit
Iam fama, & rumor iam tua plectra ſonat.
Non tu mella leges rorantia floribus ipſa
Gallica, nempè ſuper lilia mella plues.
I, dulci Gallos, Apis Itala, frange ſuſurro,
Belligeros melico nectare flecte animos.

Sintque trophæà tuæ Muſæ,Bellona reuincta,
  Aes fractum,extinctus Mars,domituſque furor.
I,nec Roma vetat,Siren Tyberina,ſopita eſt
  Roma ſono, abſceſſum non dolet illa tuum.

***Ad eandem Romæ Commorantem.***

## Epigram. LXXV.

Aſpice,Roma tuis vt flagret Dardana flammis
  Siue oculis formani,ſeu bibit aure melos.
Romuleos latè ſerpit dum flamma per artus;
  Tu canis,& cytharæ nobile pectis ebur.
Priſca paludatum iactant quid ſecla Neronem,
  Romula dum fidicen buſta flagrare videt?
Par cytharà,flammis par es,Leonora,Neroni;
  Romula namque canens buſta flagrare vides.
Quin tu ſæua magis. Lacias nam ſurgere flammas,
  Ille ſemel,quoties concinis ipſa vides.

***Ad Io. Franciſcum Carafam Cl.Reg. De Cicerone à Popilio occiſo in Bituntina Inflammatorum Academia perorantem.***

## Epigram. LXXVI.

Inclyta,proh ſcelus,Imperij procumbit humi lux,
  Immeritas multo puluere fœda Comas.
Quæ te,Popoli,furijs agitauit Erymnis?
  Non ſatis enſe tuo eſt,occubuiſſe Patrem?

Aſpicis

Aſpicis imbutam dextram,ferrumque cruore?
Improbe;nempe atrox erubuere ſcelus.
At tu Romulei Princeps,Columenque Senatus,
Huc ades,& laudes,excipe,Magne,tuas.
Quam benè Carafa eloquio tua fata rependit,
Dum cadis enſe,acri ſurgis in ingenio.

### *Ad Raphaelem Taurum De Comædia, cui titulus. Interrotti diſegni.*

### Epigram. LXXVII.

ARgutus bellè nectit ſpectacula Taurus,
Et ſalibus miſcet ludicra lingua ſales.
Explicat,inuoluit,nec rumpit ſtamina amorum,
Sic dubijs ludit Scena diſerta modis.
Sat labyrinthæo deſæuit carcere Taurus
Gnoſſius,& Graiæ ſat gemuere nurus.
Doctiloquos inter flexus nunc Taurus Iapyx
Exilaret lepidis Thuſca theatra iocis.

### *Ad Thomam Falcum. De Innocentum Tragædia.*

### Epigram. LXXVIII.

DVm furit in pueros Phalaris Solymæus,& enſe
Lactea multiplici victima cæſa cadit:
Funera ne ſubeat,Puero immatura Tonanti,
Eludit profugus tela cruenta Deus.

Nunc

Nunc redit immitis rabies rediuiua Tyranni,
Obtruncat matrum pignora & ira recens.
Nempè cothurnatuſ pangit pia funera Falcus,
Et docet immeritas flere theatra neces;
Bimula ſed culto tàm bellè à carmine Turba
Occidit; & pulchro vulnere picta rubet:
Vt qui iam fugit fata illætalia, lethum
Vltrò Virgineus vellet obire Puer.

## *De Vita Venerabilis Virginis* N. *eleganter conſcripta.*
## Epigram. LXXIX.

ASpicis hic miræ ſpirantia Virginis ora;
Ora Timantæa non animanda manu;
Diſcordes vultuś non mollia marmora, viuunt
Non ebur effinget, fuſa vel æra notent.
Pallet, & ignescit ſimul N: pectore feruet,
Et ſunt membra ſimul frigidiora niue.
Exanimis viuit dinino à Numine; ſpirat
Ipſa nec ipſa; ac ſint corda aliena ſinu.
Mole grauis, leui it; Cœloque volubilis errat
Immota; & rapitur, fixaque inhæret humi;
Sana mente furit; vultu lymphata decoro
Baccatur: pulchrè deſipit & ſapiens.
Magnus amor caſtæ; iciuna eſt ebria multo
Nectare; ſtat placido in pectore cura vigil.
Soliuagam ſyluis ſtipant ſocia agmina Diuûm;
Illachrymat lacryma eſt vbere mox hilaris.
Virginis hi vultus, variæ hæc miracula formæ:
Qui notat hæc calamo diuite, mira facit.

Vr-

*Vrbani Octaui Tumulus.*

## Epigram. LXXX.

VRbani exuuias magni tegit vrna, verendo
Ille animat vultu hæc marmora, & æra ſuo,
Rexiſſe ingenio Parnaſſi Numina Muſis
Facundiſque ſua iura dediſſe Lyra:
Eſt laude inferius. Grandi ceruice teramplum
Orbemque; & Cœlum ſuſtinuiſſe diù;
Conſenuiſſe manu grandæuà Romula ſceptra,
Sceptra fagitatâ nec poſuiſſe manu:
Vittatum domuiſſe hoſtes, tumidoſque rebelles:
Et fregiſſe graui bella ſupercilio:
Hoc opus Vrbani: hoc illi Cœlum aſſerit, ingens
Hoc pretium Cineri dat tumuloque decus.

*In Obitu Ludouici XII. Galliarum Regis Galliæ Proſopopæa.*

## Epigram. LXXXI.

GAllia ſoſpes eram, te ſoſpite Principe, te nunc
Extincto, extincta flebilis vrna tenet.
Magnanimà non mente calent mea membra, nec artus
Vltra animat gelidos vis generoſa meos.
Miraris Ludouice, tuum quò mortua funus
Deplorem, & grandi murmure fata gemam?
Tam mors dira tua eſt tamque eſt lachrymabile fatum,
Cogat vt extinctas vel lachrymare genas.

*Ad eundem Ludouici Regis obitum.*

## Epigram. LXXXII.

LVtetia in magna funeſta Cadauera Regis
Magnanimi fera mors vidit,& indoluit.
Indoluit, rupiſſe breuis fila aurea vitæ,
Nec dum matura diſſoluiſſe die.
Parce,inquit,ter magne,tuis,Ludouice,trophæis,
Parce tuis palmis,inclyte,parce tibi.
Namque ego quid peccem?numero tua bella,triumphos
Supputo,& annoſum te reor eſſe ſenem.
Sic tua te læſit virtus, maturior æuo,
Eſtque meum vulnus,Culpa ſed ipſa tua eſt.

*In eodem funere*
*Ad Reginam,& Galliam.*

## Epigram. LXXXIII.

EN ferrugineo Regina:& Gallia cultu,
Funera & hæc Regis,Coniugis illa dolet.
At, Regina,diù luges tu flebile vulnus;
Gallica nec pateris Regna dolere diù.
Sequanicæ nam priſca Domus dum Sceptra capeſſis,
Et facili frænas inclyta Regna manu;
Reſtituis Regem rediuiuum,extinctus & Aulam,
Heroina,tuis faſcibus ille regit
Fortunata ſuum ſic cernit Gallia Regem;
Tuque orbata tuo Coniuge,ſola doles,

*In*

### *In eodem Gallorum Regis funere.*

## Epigram. LXXXIV.

Cerne vices. Palmis implet Rex Francicus Orbem,
 Et ſubitò funus mæſta cupreſſus obit.
Gallia victori ſpirantia marmora, & æra
 Nunc ſacrat, extincto nunc monumenta dicat.
Lilia nunc fluitant victricibus aurea ſignis,
 Nunc viola, & triſti ſpargitur vrna croco.
Fama ſimul lituum facundior inflat, acerbum
 Et ſimul, heu, leſſum præfica dira canit.
Nænia ſic Comes it pompis, feretrumque triumphis,
 Plauſibus inferiæ, curribus vrna breuis.
Sic palmas inter, Ludouice, occumbis; eodem
 Te canit, & plangit murmure triſtis Arar.

### *In funere Guſtaui Gothorum Regis.*

## Epigram. LXXXV.

Occidit en belli fulmen, terrorque Trionum,
 Occidit ærato fulmine fuſus humi.
Speque, animoque vorat dum Sceptra Arctoa Superbus,
 Hauſta cruentato à vulnere Sceptra vomit.
Quid fortuna ferox iuuit? quid fama? quid ære
 Pectora? quid ſcythico corda adamante tegi?
Non animus, non fata iuuant, Guſtaue, Tonantis
 Auſtriaci quando tela miniſtrat Auis.

*In funere Ferdinandi Card. Auſtriaci.*

## Epigram. LXXXVI.

I Nijcit Auſtriacus Rheno dum frena bicorni,
Subdit & Hiſpano Belgica colla iugo:
Heu cadit Auſtriadum flos,& ſpes inclyta,Mauors
Purpureus;prima & pube virente cadit.
Multa gemat,totam & fundat Tagus aureus vrnam,
In lachrymas fluxu diuite totus eat.
Sic exauſta pio gemitu,exiccataque fletu,
Magnanimum Cinerem fluminis Vrna tegat.
Par tumulus functo: pretioſaque Principis oſſa
Debuit auratus contumulare Tagus.

*Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis Tumulus.*

## Epigram. LXXXVII.

HIc ſitus Italiæ clypeus,Regum ille,Ducumque
Flos amor,& terror,Carolus Emmanuel.
Gloria det cineri flores;vmbrata cupreſſu
Palma,ſtet inciſis nobilitata notis.
Hinc virtus animos,miratrix fama triumphos
Hinc celebret;nomen Thrax colat,Indus,Arabs.
An putat æthereas Alpes nunc rumpere Gallus
Annibal,Allobrogum cum tegit vrna Ducem?
Fallitur:ardentes ſpirant ſub marmore Manes
Prælia,& extincti Marte calent Cineres.

Am-

*Ambroſij Marchionis Spinulæ Tumulus.*

## Epigram. LXXXVIII.

HIc vbi Mars galeam diſcinctam fletibus implet,
Pallas & extracta caſſ. de mæſta dolet,
Excuſſaque rota, paſſis fortuna capillis,
Hic vbi dilapſo poplite prona iacet;
Scipiadis maior, ſitus hic eſt Spinula, Mauors
Italus ille manu clarus, & enſe ferox.
Terruit Arctoas factis ingentibus Vrbes,
Inuitas docuit fræna que auita pati.
Immenſa tandem laudum ſub mole fatiſcit,
Et latet hoc tumulo martius ille vigor.
Ne grandi violas Cineri, ne lilia funde,
Exuuias, plena, & funde trophæa manu.

*Cardinalis Richelij Tumulus*

## Epigram. LXXXIX.

GAllia cui grandi minor indole, maius & Orbe
Pectus erat, paruus contegit ecce lapis.
Nec mirùm, vaſtoque Duci, Heroique teramplo
Quòd breue ſufficiat marmor & vrna breuis.
Nam mens totus erat, totus vigor igneus; vrnà
Aut nihil, aut parum quod tumuletur, erat.

*In*

### *In funere Ioſephi Giaceti, Caſtri Villani Comitis filij, in agro Peruſino dum acriter pugnat, interempti.*

## Epigram. XC.

CVi rutilat flauus iuuenili in vertice crinis,
Nec roſeas Hebe veſtit acerba genas:
Maturo iam Marte calet Giacetus,& hoſtes
Fertur in obſtantes dextra,animoque ferox.
Ceu velit vna manus ſeptenæ culmina Romæ
Tutari,& latij ſceptra terampla Patris.
Sed cadit,heu ferro Iuuenum flos inclytus,acri
Dum Vaticanas enſe tuetur Apes.
Morte cadis pulchra,Giacete,Apibuſque latinis
Nobile ver æui fundere,dulce putas.
Reddit Apis ſed grata vices: en murmure longo
Triſtia fata gemit,fortia facta canit.

### *In eiuſdem obitum Traſimenus.*

## Epigram. XCI.

DVm iacet,& molli recubat Traſimenus in vnda,
Rumpitur en ſubito murmure lenta quies.
Extulit amne caput; rorantia lumina verſat
Huc illuc, toto mox tremit vnda lacu.
Signa videt ſignis certantia Thuſca latinis,
Iam pede pes premitur,Dux Duce,virque viro.
Nec mora:ſpem Generis,Giacetum,nobilis æui
Flore cruentato,fata obijſſe videt.

Liquitur in lachrymas:ſatuſque hæc carmine rauco,
Indignabundus mergitur inter aquas.
Vidi ego cum latio ferus Annibal intulit arma,
Mille acies,mille hic occubuiſſe Duces.
Nunc priſca obruitur clades,plagàque recenti
Grandior,heu,multò,Roma,ruina tua eſt.
Scilicet egregij Iuuenis vel funere in vno
Pluſquam mille acies,mille obiere Duces.

## *In funere Io.Baptiſta* Marchionis *Manſi.*

## Epigram. XCII.

Lenta diù Lacheſis grandæuo ſtamina Manſo
Neuerat,& longos duxerat ille dies.
Indefeſſa tamen vitalia fila merenti
Aſſidua pergit continuare manu.
Ductile ſed vitæ rupit Soror vtraque penſum;
Haud inquit,noſtro pollice Manſus eget.
Quæ Bellona manu,quæ ferbuit inclyta Pallas
Vertice,quæ ſueuit pectore Muſa loqui,
Tergeminum hoc illi Numen modò diuidit æuum,
Et currunt Parca nobiliore dies.

## *In eiuſdem Marchionis Manſi Neapolitanæ Otioſorum Academiæ Principis funere.*

### Epigram. XCIII.

O Tia Parthenopes moderatus publica Manſus;
Muſarum rexit Regna canora diù.
Sceptrum illi calamus facundior:ore diſerto
Dixiſſe,ingenijs iura dediſſe fuit.
Flos Italum paruit,cùm iuſſit;& agmine facto,
Stipauit Vatum plurima pompa latus.
Feſſus nunc poſuit faſces,quæque otia terris
Rexit,ſyderea cœpit in Axe frui.

## *In funere Didaci de Vargas Iuuenis ornatiſsimi.*

### Epigram. XCIV.

O Ccidis;haud mortem flexit flos inclytus æui,
Didace,non roſeus qui micat ore decor.
Non facunda manus vocali leniijt auro,
Terruit haud doctæ Palladis haſta ferox
Cumque agiles bellè ſcires ad plectra choreas
Nectere,& intorti turbinis ire modis:
Non pede Mæander torto,non textilis error
Heu,fati volucres implicuere pedes.
I tamen,& vitam ſatis hic libaſſe,ſerenos
Et reliquos inter ſydera viue dies.

*Marci Antonij de Rubeis,*
*Bituntinæ Inflammatorum Academiæ Principis,*
*A Bernardino Regna funus celebratur.*

## Epigram. XCV.

MArcus, Apollinei Dux, & decus agminis, Ille,
  Ille obit; heu fati vulnera ſæua nimis
Tu myrtum, & triſtes violas, Regna optime, pleno
  Das calatho & mæſto Carmine funus obis.
Audijt hos Pallas gemitus Tritonia, & imo
  Pectore collachrymans, talia voce dedit.
Triſtia ſemper erunt hæc carmina funere tanto,
  Semper honoratum hoc carmine funus erit.

*In Gemellos eodem natos, denatoſque die.*

## Epigram. XCVI.

EXcepit lux vna duos, & pectore ab vno
  Pendentes geminos aſpicit vna Parens.
Par oculis adflatus honos, par fronte venuſtas,
  Par vultu, roſeis purpura & vna genis.
Ambobus mox funus idem; nam ſydera frontis
  Vna dies aperit, condidit vna dies.
Nec cineri gemino tumuli ſors defuit vna,
  Namque vna vnanimes contegit vrna duos.
Sydera quàm bellè luſere hic, æqua gemellis
  Cum luxere pari lumine, ſorte pari.
Ite pares Animæ; veſtri hæc miracula fati;
  Diuidit vt quæ mors omnia, Vos ſociet.

Fran-

*Franciſci Toralti Maſſæ Principis à Populo Neapolitano obtruncati Tumulus.*

## Epigram. XCVII.

SIſte: meo cineri illachryma;famamque,decuſque
  Vindicet,heu,pietas officioſa meum.
Claudor in hac vrna,inuito ſed Marte,Toraltus
  Cui labor in pretio pulchra per arma fuit.
Non Belga,aut acer Gallus;plebs improba,facto
  Agmine,in immeritum profiliere Caput.
Credite:Cum multo cecidiſſem vulnere; tantùm
  Quo traiecta fides concidit,hoc dolui.

*Thomæ Anelli Neapolitani tumultus Principis. Tumulus.*

## Epigram. XCVIII.

PIſcatu vixi: fallor:mihi dignior ars eſt:
  Nobilis in triuijs Ichthyopola fui.
Piſce ſed abiecto,Patriam miſcere tumultu
  Conor,iurato & ſoluere colla iugo.
Fax Populi,& Princeps:nec ſceptra precaria magnæ
  Parthenopes tenuit dextra ſuperba diù.
Diſcerptuſque luo crimen;ſpectacula & Vrbi
  Multiplicat ſciſſum hinc corpus,& inde meum.
Membra dein coeunt diuulſa,& corpore iuncto,
  Me totum exiguo continet vrna ſinu.
Vrna tenet totum; ſi totus ſcilicet ille eſt,
  Vertice cui potior pars,cerebrumque deeſt.

*Viri Principis Soboles poſthuma.*

## Epigram. XCIX.

REddidit extincti vultus hæc inclyta Regum
Magnorum Soboles, reddidit ora Patris.
Lumina tu, Genitor, claudis fatalia ſomno,
Tu lachrymis ducis funera, magne Puer.
Heu, triſte inferijs miſcet cunabula fatum;
Hinc Pater, hinc ſoboles exoritur, moritur.
At quia non geminus phænix, geminus neque ſol eſt,
Aut Pater ipſe mori debuit, aut ſoboles.

*Andreæ de Rubeis Pueri Tumulus.*

## Epigram. C.

ANdreas Rubeus, quem primo flore biluſtrem
Suſtulit, affecto gutture, dira lues,
Hic ſitus eſt; eademque tenet lachrymabilis vrna
Spem Generis, matris gaudia, vota Patris.

# MVSA CANICVLARIS SIVE EPIGRAMMATVM

*Centuriæ Tres.*

CENTVRIA TERTIA,

Quæ varia.

Ad Redemptoris è Cruce pendentis Imaginem, Quæ in Neapolitana SS. Apoſtolorum Æde Cl·Reg. proſtat: Ad eorum opem, qui ſupremo ſpiritu laborant, Excitato inibi nuper inſigni opere:

***Qui dicitur, Mons agoniæ Ieſu.***

Epigram. I.

CErnis, vt expiret præduro in ſtipite Numen;
Extremamque animã pectora anhela trahãt?
Stat ſummis moribũda labris, & pẽdula vita,
Languida & exanimi luce pupilla micat.
Viuit, & emoritur Numen, fatoque perenni
Durat in exangui corpore vita breuis.
Diſce: vt ſupremos vitæ tibi temperet æſtus,
Mortuus æterno funere viuit adhuc.

Ad Ludouicum Antinorium Cl.Reg.Domus SS. Apoſtolorum Præp.

***De Monte agoniæ Ieſu, cuius ipſe eſt Auctor, perorantem.***

## Epigram. II.

QVàm triſtis, Luctante anima, ſuprema palæſtra eſt,
Quos ſtruit immitis ſtyx, Erebuſque dolos:
Conſcia vt alternis mens fluctuat æſtibus; acri
Quæ laniat morſu pectora cura grauis:
Hæc tu declamas, Ludouice, & cuſpide ſæua
Sauciat attonitos lingua diſerta ſinus.
Tùm quæ dira facis, dicendo, vulnera, ſanas;
Inſpicis extincti cum ſimulacra Dei.
Hæc mortem, ſtimuloſque animi pia vulnera mulcent,
Anxia & hæc, inquis, pectora ſpina leuat.

***In auream Redemptoris Cruci affixi Imaginem.***

## Epigram. III.

NVminis en ligno pendet ſpirantis imago
Aurea, flaueſcit diuite, & ore Deus.
Iuncta ſed eſt opibus paupertas: pectore nudo
Nudum aurum, fixa & Numina nuda vides.
Miraris magnum ditemque, inopemque Tonantem?
Si neſcis, facit hæc ingenioſus amor.
Diſce hinc ſydereum quantum te Numen amarit;
Eſſe tibi voluit diues, inopſque ſibi.

Cruci-

*Crucifixi Imago ex ebore.*

## Epigram. IV.

EX ebore inciſum cæſo ſtat corpore Numen
Penſile, natiuus candor vbique nitet.
Nulla & parte rubet, non fuſilis ora cruentat
Purpura, nec roſeo murice vulnus hiat.
Cur, ais, irriguus non it per lactea circùm
Membra cruor? toto & corpore candet ebur?
Ah, ferro exhauſtus cruor eſt: nec ſola remanſit,
Candida quæ pingat pectora, gutta breuis.

*Chriſti Domini in Cruce traiecti Imago ex electro.*

## Epigram. V.

EN Simulacra Dei pendentia diuite ligno
Exprimit hic facili gemmia animata manu:
Heliadum hæ lachrymæ: ſic totum eſt lachryma Numen;
Sunt lachrymæ vultus, pectora ſunt lachrymæ,
Scilicet vt priſcum facinus Deus expiet ingens,
Heu voluit totus fuſilis eſſe cruor.
Noſtra ſed vt denuo tergat noua crimina, totus
Eſt gemitus, totus liquitur in lachrymas.

*Ad eandem ex electro Imaginem.*

## Epigram. VI.

EFfictum lachrimâ Numen Phaetontide pendet,
Diſcit & exanimi in Numine gemma mori.
Flaueſcunt fuluoque manus,& pectora electro,
Eſtque ſimul gemma,& lachryma Numen idem.
Vt plangas lachrymas oculis dat lachryma,vt ingens
Numen ames,rutilans fit tibi gemma Deus.

## Ad eandem.

## Epigram. VII.

PAllenti en pendent morientia Numina electro,
Gemmatàque Deus figitur in lachryma.
Flere Iubar præceps aſſueta eſt ſuccina gemma;
Flet modò & occiduum ſuccina gemma Iubar.
Fluxæ illæ,lachrymæque breues, ſit vt iſta perennis,
Cernis?in æternum eſt lachryma verſa Deum.

*In Ceream D. Magdalenæ Effigiem.*

## Epigram. VIII.

QVam benè ſpiranti ficta eſt hic Magdala cera,
Exprimit,& facilis mollia corda labor.

Dedi-

Dedignata coma eſt auro flaueſcere,poſſit
Flexilis vt diuos ſæpe ligare pedes
It roſeis pia cera genis it candida collo.
Mira vides:tota eſt cerea,tota flagrat.
At meritò exundant rotantia lumina fletu,
Irrigat & madidas lachryma fuſa genas:
Nam quæ flamma calet niueo sub pectore,ceram
Dum liquat, in lachrymas Magdala tota fluit.

## *Diui Franciſci effigies Corallina.*

## Epigram. IX.

CVi toga pauperior,cinerique ſimillima,puram
Cui liquidus frontem pinxit,& ora cinis,
Coralio ſpirat viuo:en quà diuite gemma
Effinxit vultus ingenioſa manus.
Pallida non olli facies;iam purpurat omnis;
Ora rubent,ardet purpura viua genis.
An cruor it vultu,roſeoque ebullit in ore,
Plurima dum niueo in pectore flamma calet?
Fallor:pauperies ſemper cui gratior vna;
Se gemmà inſculptum vidit,& erubuit.

## *De Cleopatræ Effigie in D. Mariæ Magdalenæ imaginem Commutata;*

## Epigram. X.

PIcta Cleopatram quæ nunc referebat imago,
Effigies bellè,Magdala,facta tua eſt.

Exi.

Exiguus labor artifici: diſcrimine nullo,
Illius effigies iſtius ora refert.
Vna ſupercilio floreſcit gloria vtrique;
Vtraque pulchra genas, vtraque flaua Comas.
Sic geminos vna vultus in imagine cerno,
Seu Cleopatra tuos, Magdala, ſiue tuos.
Fortè deeſt niueum pectus quæ velneret anguis?
Credite: corde latet ſæuior angue dolor.

### *Ad D. Mariam Magdalenam:*

## Epigram. XI.

PVlchros nuda ſinus, effuſaque Magdala crines,
Illachrymans inter fercula prona ruit.
Miſcenturque epulis fletus: hinc pondere diues,
Menſa gemit, largo hinc Magdalis imbre gemit.
Barbara Niliaco ſileat Conuiuia luxu
Memphis, cum latio eſt gemma ſoluta Duci;
Vna Cleopatræ ditauit gemmula menſas;
Margaridas gemitu Magdala mille liquat.

### *Heraclius Imperator Crucem portat habitu triumphali.*

## Epigram. XII.

IAm fulua Cæſar ſpectandus iaſpide, & auro
Sacra triumphali ſyrmate ſigna vehit.

Mor-

Mortaliſque Dei miſeranda cæde cruentum,
Iam ſubit in montem, diuite vectus equo
Cum medio ſonipes phaleratus tramite ſiſtit,
Nec potis eſt cæptum pergere anhelus iter
Fræna quatit Cęſar, mox ilia lancinat auro,
Stat tamen, & lentus ſpicula temnit equus.
Diſce, Heros, Sapiens quæ te docet aſipes: audin?
Hæc tibi dum modico tempore ſiſtit, ait.
Rubra cruentato ſatis eſt ſua purpura ligno,
Heracli, ex humero ſupplice pone tuam.
Pro gemma gemitus, pro luxu amplectere luctum,
Pro trabea hanc nudus terga reſume trabem.

## *Ad Pantheon Deiparæ, ac SS, Martyribus Sacrum?*

## Epigram. XIII.

Mole vides grandi ſurgentia culmina; in orbem
Itque loci facies, nobilis artis opus.
Colluuiem hic Cæli quondam, vulguſque Deorum
Panchæis coluit Roma profana focis.
Exceſſere Dij. Tectum iamque altera complent
Agmina, thure alio Sanctior Ara calet.
Nempè ſacrat Virgo ſedem, numeroſaque Diuûm
Numina, quos decorat vulnera, palma, cruor.
Cerne vices: olim ſordebant plebe Deorum,
Culta licet Pario marmore Templa forent.
Nunc licet à Senio ſquallentia tecta laborent,
Quam benè, mutata relligione, nitent.

Ro.

*Rodulphus Comes Anſpurgenſis Ob reuerentiam SS. Euchariſtiæ exhibitam Imperator.*

## Epigram. XIV.

IT ſublimis equo Rodulphus,& auia circum
Veſtigatne morum,ſollicitatque feras.
Et pluuius cadit imbre aer; cum fruge latentem
Diuinâ,madidum conſpicit ire Deum.
Siſtit equum,mora nulla,ruit;vectumque Tonantem
Fixus humi prona fronte,genuque colit.
Imponitque Deum alipedi,pluuijſque verendum
Tutatur Myſtam relligioſa chlamys.
I pedes, ì chlamyde exutus Rodulphe,rependet
Obſequium obſequio nobiliore Deus.
Pro chlamyde iniectâ dominæ chlamys aurea Romæ
Mox fluet ex humeris ambitioſa tuis.
Procumbis ſupplex? tibi mox procumbet & orbis.
Cedis equum? Imperij fræna latina reges.

*Leones D. Paulo Eremitarum Principi Sepulchrum effodiunt.*

## Epigram. XV.

PRimæuo nemorum Patri pia funera curas
Antoni;at functum quæ tegat vrna,deeſt:
Cum geminus ceruice pari,ſparſoque iubatus
Vellere,certatim peruolat ecce Leo.

Mæret

Mæret vterque pio gemitu; mox vngue recuruo
Flagrantique fodit pectore anhelus humum.
Ilicet expediunt vrnam, monumentaque magnis
Exuuijs, celeri tùm rediere gradu.
Siſtite; tàm grandi merces, pretiumque labori
Non datur? exactum præmia poſcit opus.
At merces par nulla operi eſt, labor ipſe labori
Sit pretium, & tantum contumulaſſe Senem.

*Ad Leonem eoſdem.*

## Epigram. XVI.

CErnis, vt Artifici geminus Leo conſtruit vngue
Oſſa, Parethonij quæ tegat vrna Senis.
Fuſilis it ſudor per colla ſuperba comaſque,
Et gaudent tanto funus obire Patri.
Cede, Leo, Nemeæ terror, cui ſydera pingunt
Exuuias, rutilo & vellere ab Axe micas.
Cede Leo, facilem ſic terram euoluere plus eſt,
Quàm terere aurato ſydera celſa pede.

*In Coruum tuentem à feris, & volueribus D. Vincentij Martyris C rpus.*

## Epigram. XVII.

RElliquias ne Diue, tuas, Maneſque verendos
Aut volucris, duro vel fera dente petat;
Magnanimus volat en coruus, proiectaque membra
Stat ſuper, intrepida vi, niueaque fide,

Vngue

Vngue ferox curuo, roſtro velut enſe coruſco
Armatur, terrent guttura rauca ſono.
Belligeras quatit atque alas; ſic pugnat, & artus
Tutatur Sacros relligioſus Auis.
Stet tibi nunc merces, Ales bone, mutuet alas
Fama tibi, laudem & concinat albus olor.

**S. *Heba Angla dum Monaſterium à Danis impetitur, hortatur ſuas, vt auderent ipſa, quod ipſa faceret; ſtatimque labra, ac nares ſibi præcidit, vt Virginitatem vultus turpitudine tuerentur.***

## Epigram. XVIII.

ILludet noſtro irrumpens Gens Daca pudori?
Et niueum turpi demetet vngue decus?
Me ſequere, illibata cohors; fac ſydere dextro,
Audet quæ dextro Numine noſtra manus.
Heba ait; & ſtricto mox nares, labraque ferro
Amputat, & pulchro à vulnere forma perit;
Virgineus virtute pari chorus arripit enſem
Nareſque, & ſimili vulnere labra ferit.
Ingenioſa nimis virtus: ſit integra Virgo,
Magnanimus mutilat Virginis ora chalybs.

### *D. Catharinæ Senenſis cor cum Dei Corde Commutatum,*

## Epigram. XIX.

DA, Catharina, tuum cor, ardentique viciſſim
  Pectore conde tuo mox, Catharina, meum:
Numen ait: mutantque alterno in pectore corda;
  Viuit corde Deus Virginis, illa Dei.
Excors corde nouo ſpirat Catharina, caletque
  Empyreo, inque ſinu palpitat ipſe Deus.
Nec mirum ſi Numen amat tam feruida; quando
  Non corde, interno at Numine Numen amat.

### *De vehementi Cordis palpitatione D. Philippi Nerij.*

## Epigram. XX.

VErberat arcano cor ardens pectora motu,
  Eſtque repercuſſo in pectore nulla quies.
Auditurque ſonus, ſciſſus velut intonet aer:
  Felix, cui poterat ſic reboare ſinus.
Nempè hic ceu ſiculis ardet, ſudatque caminis,
  Et ſua fulmineus ſpicula cudit Amor,
Feruet opus, retonatque incus; cumque aſpera pulſant
  Verbera, tu numeras vulnera, Diue Senex.
Angeris, ah quid corda gemis percuſſa? medullis
  Quidue infixa tuis tela triſulca doles?

T    Ignea

Ignea,ſi neſcis,quæ fulmina pectus acerbant,
Fulmina ſunt niueo in pectore facta tuo.

## *Ad D. Franciſcam Romanam.*

## Epigram. XXI.

ROma genus,claroſque atauos,nitidoſque penates
Cultaque Mygdonio marmore tecta dedit.
Ingentes & opes,Phrygioque vndantia limbo
Syrmata,munifico & dona Erithræa ſinu.
Magnanimo tu,Diua,teris pede cuncta,nec aurum
Nec rapuit,luxu diuite picta chlamys.
Sic victricem Orbis Romam,Romæque triunphans
Pompam omnem,celſa fronte trophæa refers.
Hic Romana audis;victæque à nomine Romæ,
Aemula Scipiadum,quam bene nomen habes.

## *De Abraham filium immolante.*

## Epigram. XXII.

FVlgurat exertà è Patris mors pendula dextrà,
Iam cadit,& Pueri lactea colla ferit.
Dura fronte Pater communia fata,genàque
Aſpicit impauida funera acerba Puer.
Mutus nex illis,& mors alterna;viciſſim
Illi infert Genitor vulnera,& ille Patri.
Nec timet ille,nec ille;duplex eſt victima;& vllas
In lachrymas gemino à vulnere nullus abit.

Celſi

Celſi montis apex edit hæc ſpectacula: nempè
Ardua qui ſubit hæc, proximus Empyreo eſt.

## *In Dauidem funda proſternentem Gygantem.*

### Epigram. XXIII.

IActat in obſtantes audacia verba phalanges
Ore Gygas grandi, & ſydera terret apex.
Non tulit Iſacides: feruet manus inclyta, contrà
Itque ferox, rapido & turbine ſaxa rotat.
Hæret fronte lapis: nutant, mora nulla, ter ampla
Corpora, & inflicto vulnere fuſa iacent.
Cerne rudimentum Pueri: ſtrauiſſe Gygantes,
Sunt pubeſcentis prima trophæa manus.
Dic age: Ieſſides quantus ſe tollet in aſtra,
Subdita cui baſis eſt arduus ore Gygas.

## Ad eundem.

### Epigram. XXIV.

AErata quà fronte Gygas ferus expuit iras,
Ieſſæus nudo it pectore, & ore Puer.
Dextraque dum fundà validum circumrotat ictum,
In ſublime caput tortile fulmen ijt.
Protinùs impacto Turris ruit ardua Saxo,
Cernitur & pronà mole iacere Gygas.
Mira vides: ſtruitur moles namque ardua Saxo;
Magnanimus ſaxo deſtruit iſte Puer.

*In Abſalonem e quercu pendentem.*

## Epigram. XXV.

AVratum, pexumque caput radiabat Ephebo
Ieſſidæ, inconptá aſt indole pectus erat
Dentatum quid iuuit ebur coluiſſe Capillos?
Et ſtudio mores non coluiſſe ſuos?
En meritò merces; collo cui ludere ſueta
Cæſaries; ventis pendulus ipſe ioco eſt.
Errabat refugus crinis, ſic vindicat error
Errantem, è quercu dum graue pendet onus.

*Eleazarus ſuo ſepultus triumpho.*

## Epigram. XXVI.

BArbarico inſignem cultu, ſpolijſque ſuperbum,
Iſacidùm grandem Dux Elephanta videt:
Cum medios ardens æratos inſilit hoſtes,
Marmaricam & ſtricto conficit enſe feram.
Dum cadit illa, ſimul victorem victa triumphat,
Subiectumque graui mole ruente premit.
I Dux, i victor pulchrè cui contigit inter
Lauroſque, & plauſus occubuiſſe ſuos.
Inclyta magnanimum tua te victoria vincit.
Perdere nec palmà nobiliore petes.
Cumque ruens vaſto te condit Eoa ſepulchro
Bellua, quæ viſa eſt vrna, triumphus erat.

## Ad eundem.

### Epigram. XXVII.

QVà furit Aſſyrius tua te rapit ignea virtus,
Ferro acies, lybicum ferro Elephanta necas:
Vaſta ruit moles. occidis, & occidis vnà,
Fortis, ſeu vincis, pectore, ſiue cadis.
Vincis, & egregiam decorant fata inclyta palmam,
Occidis, & clarat palma decora necem.
Martia barbaricos numerat quid Roma triumphos?
Iactat & ereptas hoſtibus exuuias?
Ipſe ſibi pompa eſt Eleazarus, ipſe triumphus;
Dum cadit, ipſe ſimul victor, & exuuiæ

## Ad eundem.

### Epigram. XXVIII.

ASSyrias Interturritum elephanta phalanges,
Regia cui Tyrio ſyrmate pompa micat,
Vt videt, vt tonat Iſacides; manet ardua Turrris
Hanc dextram; ferro corruet illa meo.
Dixit, & impauidus clypeatum irrumpit in agmen,
Celſaque mox ferro Bellua cæſa cadit.
Quis neget horrificum te belli, Eleazare fulmen?
En turrita ferit culmina certa manus.

*Conſtantinus Magnus ex Infantum Sanguine balnea meditatur.*

## Fpigram. XXIX.

IMproba Cæſareos ſerpit dum turpiter artus,
Nec ſiſtit doctâ Pæonis arte lues.
Sæua parat ſectis infantum balnea venis
Ampſaque iam riguo ſanguine concha tepet.
Magne, quid in paruis quæris lactentibus annos,
Ducere qui primos vix potuere dies?
Bimula num roſeum fundet tibi vena cruorem?
Neſcit lacteolis artibus ire cruor.
Si ſapis: vt caput Imperij, te ſoſpite, viuat,
Ne Cæſa Imperij membra tenella cadant.

*Nicephori Conſtantinopolitani Imperatoris caput argento conueſtitum pro cratere adhibet in ſympoſio. Crunnus Bulgarorum Rex.*

## Epigram. XXX.

BVlgarus vt meritâ Princeps ceruice reuellit
Helleſpontiaci Cæſaris enſe caput.
Argento cranium, fuluoque interſerit auro,
Fitque cauus pulchrè calua reſecta calix.
Itque calix menſis; indignatuſque phalernus,
Ceu renuat pateram, ſpumeus inde ſalit.

Exultat

Exultat fragrante mero,inſultatque refuſo
 Poculo in exoſum barbara turba caput.
Iure ſitim at ſedas alienam,Cæſar,auarum
 Dum neſcis pulchrà vi cohibere tuàm.

### *Eudoxia Græca puella, ex humili fortuna, e Patria extorris, Theodoſij Coniux, & Imperatrix.*

## Epigram. XXXI.

PAruis pulſa ſuis innupta Eudoxia tectis
 Exul ab innupto Cæſare quærit opem.
Illi forma placet vernans,& gratia vultus,
 Et qui Virgineo purpurat ore pudor.
Nec mora:formoſæ thalamum,ſceptrumque Puellæ
 Partitur pulchro fœdere Sanctus hymen.
Quam bene ridenti arrident fata inclyta formæ,
 Aurea in auratas itque Corona Comas.
Iam,patrios ne quære lares,Eudoxia;dulci
 Dulcior exilio hoc Patria nulla fuit.

### *Ad eandem Eudoxiam Auguſtam*

## Epigram. XXXII.

ARgolica extorris patrià gemit anxia, prenſat
 Cæſaris & dextra ſupplice Virgo pedes.
Vt videt,vt perit Auguſtus:ſic pexile crinis
 Aurum,ſic placuit gratia fuſa genis.

Mox formoſa toro lecta eſt Eudoxia magni
Cæſaris, aurato ſtemmate vincta Comas.
Perdidit Aſſaraci quondam pulcherrima ſceptrum,
Vecta peregrina ad littora Græca Nurus.
Helleſpontiacum ſibi nunc pulcherrima Sceptrum
Aſſerit, ignoto in littore Græca Nurus.

## Conradinus Rex.

*Victus à Carolo Rege Neapolitano, à ſuamet gemma proditur, dum fugit.*

## Epigram. XXXIII.

IT Bello, & fato victus Rex ſueuus, & oſtro
Mutato, profugum trita lacerna tegit.
Quæ ſupereſt digitis, naulum Garamantide gemma
Dum ſoluit, prodit gemma ſoluta Ducem.
Agnitus ipſe ſuo Rex eſt adamante, ſuoque
Immeritum pretio diuite funus emit.
Congere diuitias, quicumque es, congere & aurum,
Ardeat articulis gemma Erithræa tuis.
Diuitijs credes? heu falleris; eſſe fidelis
Nec Domino nouit gemma ſuperba ſuo.

Nobi-

### *Nobiliſsima Virgo Monialium habitu induitur.*

## Epigram. XXXIV.

SEruitio premeris duro, Virgo inclyta, mundus
Dum te mellitus ſub tua iura tenet.
Tortilis it collo torques; cumque aurea nectit
Pectora, te veluti pulchra catena ligat.
Stat lateri famulus; tua te cuſtodia circum
Implicat; eſt carcer ſplendidus, ampla domus;
Sæuitiam domini mulcent ſpectacula; cælat,
Quæ pectus vexant aſpera picta chlamys.
Fallere crudelem placida ſub fronte Tyrannum
Nulla manus, nulla & vis animoſa valet.
Vteris ingenio mutata & veſte comamque
Tonſa, aliam fingis cyclade, & ore aliam.
Sic durum fugis imperium, & meliore reuinctam
Compede, libertas te fouet alma ſinu.

### *Crines dicatæ Deo Virgini præciduntur.*

## Epigram. XXXV.

CAeſa pio ferro crinalis pompa, decuſque
Tortilis electri Colla per alba cadit.
Nec pretioſa doles diſpendia, crine ſuperbo
Maior, & erecto vertice damna vides.
Macte animo, Virgo, flauentem diuite cultu
Cæſariem cædat relligioſa manus.

En

En tibi net Lacheſis melioris ſtamina vitæ,
Aurea dum tonſo à vertice penſa cadunt.

### *Ad eandem Virginem Religionis vota concipientem.*

## Epigram. XXXVI.

Ite mei quondam luſus, luxuſque, profanæ
I formæ eximius floſque, decuſque meæ.
Non atauûm priſcis ſpirantia vultibus æra,
Tectaque non Indo dente ſuperba iuuant.
Non adamas, rutilumque ſinu non ardeat aurum,
Fluctuet haud Phrygio pollice picta chlamys.
Nec procerum me grandis amor, nec ſplendida ludant
Connubia; i thalamo diuite feſtus hymen.
Iam deuota aſtris, torto me carcere mundi
Expediam, faſtu maior, & illecebris.
Dixit, & auricomos dat cædi Virgo Capillos,
Ferro, quos mira neuerat arte Charis:
Sicque pedem cæcis effert erroribus; ipſa
Gnoſſia dat flauo è vertice fila ſibi.

### *Ad eandem detonſa Coma Deo ſacram.*

## Epigram. XXXVII.

Qui rutilo crinis flaueſcit concolor auro,
Compſit & egregia ſæpius arte manus,

Tu

Tu niueà abrumpis de fronte. tuiſque triumphas
  Exuuijs,domitrix mundi,Erebique ſimul.
Hoc emitur Cœlum auro:excuſſo hoc pondere ad aſtra
  Nititur,& facili vertice ſurgit apex.
Vellere ab hoc æuum durabile ſtamina torquet,
  Fortius hæc numen fila reciſa ligant.
At tibi ſat diues,Virgo,iactura:rependunt
  Nempè Comam capiti ſydera nexa tuo.

## *De Flore Indico,cui nomen Granadilla.*

## Epigram. XXXVIII.

ASpicis,vt bellè cæſum Granadilla Tonantem
  Exprimat,æterna & funera flore breui?
Stant eadem peracuta Comis diademata,& idem
  Lethifer im meritum vexat vtrumque chalybs.
Flagra eadem,funiſque triplex,eademque columna eſt,
  Par cruor,& fuſo picta cruore chlamys,
Cumque hiat & rorem potat Granadilla cadentem,
  Inſtar anhelantis Numinis illa ſitit.
Collaque languidolo flectit dum vertice,prono
  E Cruce pendentem vertice cerne Deum.
Par nempè vtriſque effigies,par mortis imago,
  Laude pari florent Numina,floſque perit,
Parcite:pulchra Deo Granadilla eſt fortior:Ille
  Indolet,hæc ridet vulnera fixa ſinu.

*Lilium, & Roſa.*

## Epigram. XXXIX.

DVlce rubent, minioque roſæ formoſius ardent;
Lilia ſunt ſcythicà candidiora niue,
Inficit his niueos Iuno Saturnia vultus;
Inficit his roſeis imbribus ora Venus.
Vberibus Iuno, pingit pede ſaucia pulchro
Alma Venus; Iuno lacte, cruore Venus.
Floribus his florum iam nobile cedite vulgus,
Qui poſſit decus hoc vincere, nullus erit.
Numina ſudarunt operi: quid pulchrius vſquam,
Quàm quod ſydereæ compoſuere Deæ?

*In Abſalonem.*

## Epigram. XL.

DIſcintus de more Nepos it crine ſolutus,
Dum conſanguineo victus ab hoſte fugit.
Nec cauet horrentem quercum: volat alite curſu,
Reſtitit at crine heu pendulus ipſe ſuo.
I, bellatrices acies, curruſque ſequentes,
I, fuge victoris tela cruenta Patris.
Te Scelus inſequitur vindex huic militat arbor;
Belligera huic quercus brachia mille parat.

In

# In eundem.

## Epigram. XLI.

ORa niues, ſuperantque roſas, ſtat crinibus aurum,
  Collo ebur, haud vlla eſt forma decora magis.
Corda ſub egregio vultu tamen improba condit
  Ieſſides, belli faxque, Patriſque Lues
Non formoſa parens genuit, non regia nato
  Admonuit tenero pectora blanda nurus.
Sed nemus horriſonum, præruptique hoſpita montis
  Quercus, præduro à ſtipite fudit humi.
Iure illum implicito punit nunc vertice Quercus:
  Læſum nempe Patrem vindicat ipſa Parens.

*Ad Iudam Iſchariotem*
*Proiectis argenteis loqueo ſe ſuſpendit.*

## Epigram. XLII.

IMpius en Dominum vili ceu proijcit ære:
  Nec multò, acceptum proijcit & pretium.
Quid reliquum? tandem culpaque, & vindice Cœlo,
  Proijcit excelſa ex arbore ſe miſerum.
At laqueus, miſero ne ſit tam vaſta ruina,
  Detinuit, prenſo gutture, præcipitem.
Non alliſus humi Iudas. ò fune benignâ
  Dignum opus. ò laqueum terque, quaterque pium.

Ad

## Ad eundem.

*Abiens laqueo ſe ſuſpendit.*

### Epigram. XLIII.

IT Iudas; torto Nemeſis truculenta flagello
  Aſperat,infelix ſollicitatque latus.
Inſerit in facilem collum execrabile funem:
  Nec mora:precipitem pendula fata premunt.
Sic pendit crimen,dum pendet;vindicat aer
  Offenſum Cœlum,& Numina,cruxque crucem.
Arbore ſed prono dum pendet vertice fructum
  Maturum diræ quis neget eſſe neci?

## Ad eundem.

*Proiectis argenteis.*

### Epigram. XLIV.

CVm grauet argentum,& violenta in fata ſceleſtum
  Pertrahat,argenti pondera fudit humi
Proijcit infelix:leuior nec pondere fuſo eſt,
  Nec minus,heu,præceps in ſua fata ruit.
Argentum fudiſſe manu quid profuit? ah te
  Crimine debueras exonerare tuo.
Non culpæ pretium,fuluum non prægrauat aurum;
  Impia culpa ſinu,quæ latet,illa grauat.

*Ad*

*Ad eundem. Oſculo filium h. tradis?*

## Epigram. XLV.

Figit odoratis dum Proditor oſcula labris,
Fingit adoratum Numen amare ſuum,
Non amat,at Dominum prædator perditus hamat,
Oſcula nam capiunt,inſidiatur amor.
Heu,tua ſi tantùm nocuerunt oſcula,Iuda,
Quid facerent dirâ tela rotata manu?

*Theodoricus Italiæ Rex inter epulas ſpiritum expuit, dum illato magno piſcis capite, putat eſſe caput Symmachi, Viri Conſularis, quod ipſe obtruncari iuſſerat.*

## Epigram. XLVI.

Qua cultis ſtat menſa toris Rex Italus inter
Ambroſias auido ſederat ore dapes.
Lancibus auratis fumabant fercula mille,
Et gelida ardebant maſſica vina niue.
Cum magni illatum caput ingens piſcis;inhorret
Ille metu ſubito;mox cadit exanimis.
Te videt illuſus piſcis ſub imagine,magne
Symmache,cui minuit Barbarus enſe caput.
Te videt,&memori torquetur mente,peroſus
Crimen atrox;piſce & vindice fata ſubit.
Sic tua mors pulchrè nunc morte rependitur æqua,
Symmache;nempe caput vindicat ecce caput.

*Vir Princeps inter pocula repentè moritur.*

## Epigram. XLVII.

POrrigit auratum Domino cratera miniſter,
Irriget vt puro guttura anhela mero.
Ille vbi ſpumanti ſitientia labra phalerno
Admouet,infelix fata inopinus obit.
Occiduam ſimul extinxit vitamque,ſitimque;
Maſſica libauit vina,ſimulque necem.
Diſcite metiri fumantia pocula;ſæpe
Effera mors inter vina iocoſa furit.
Sæpe calix fuſo dum nectare ſpumeus vndat,
Mergitur exiguo naufraga vita mero.

*Virgo formoſiſsima fulmine moritur.*

## Epigram. XLVIII.

FOrmoſas inter formoſior vna puellas
Candida dum Phrygià ſtamina pingit acu:
Intonuit latè,ſciſſuſque remugiјt aer
Arſitque irati flamma triſulca Iouis.
Nil moror.it volucri pennâ penetrabile fulmen,
Et bibit è pulchra Virgine pulchram animam.
Extinctæ ſoluunt Comites pia funera;terſa
Mox lachryma,fantur talia voce pari.
Cui Cœlum egregiam dederant,cui ſydera formam,
Quàm bene cæleſti morte perempta cadit.

### *Ad Virum Principem ab aſſidua venatione occumbentem.*

## Epigram. XLIX.

PEr iuga venator, nemorumque per auia anhelo
Pectore, & effuſo, Carole, curris equo.
Spumantem nunc ſiſtis aprum, nunc cuſpide ceruum,
Sub pede nunc tremulus palpitat ecce Lepus.
Indulges nimium genio, nec parcere Syluis,
Nec tibi ſcis, perdis teque, ferasque ſimul,
Illas tu ſequeris, te mors petit effera; ſæua
Torques ipſe feris ſpicula, & illa tibi.
Sic peris, & vultu mutata, Proſerpina nunc eſt,
Quæ modo venanti Caſta Diana fuit.

### *In quendam anuli venenato adamante enecatum.*

## Epigram. L.

VT cadat inſidijs hoſtis, quæ pollice fulget
Gemma, venenato fuſa liquore madet.
Vt videt ille, perit medicato adamante, ſuperbo
Et faſtu venis it pretioſa lues.
I felix, diro quem non manus improba ferro,
Splendida ſed fato diuite gemma necat.
Sors fuit, & pretium, dum ferrea viuitur ætas,
Claudere gemmato funere poſſe diem.

*Ad N. qui dum plus nimio Aſtronomiæ ſtudio vacat, occubuit.*

## Epigram. LI.

INgenio ſequeris volucri reuolubile Cœlum,
Quæque leui currunt aſtra operoſa gradu.
Axemque immenſum calamo metiris, & vlnâ,
Signat & æthereas circinus arte rotas.
Ducis at inſomnes totas dum peruigil horas,
Aeternus clauſit lumina mæſta ſopor.
Feſtinata inter properantis ſydera Cœli
Ocyus, heu, vitæ diſcit abire dies.
Nec Cœli tabulis tua funera perlegis, aſtra
Conſcia nec fati te monuere tui.
At pulchrè occumbis Cœlo cum grandibus aſtris,
Et tua ſyderea fulgurat vrna face.

*In Aſtrologum Genethliacum*

## Epigram. LII.

QVæ Cælo rutilant, tectiſque nitentibus ardent
Sydera mutatis irrequieta locis,
Tu calamo ſiſtis tenui, ſcriptaque papyro,
Ceu labyrinthæo carcere clauſa tenes.
Mox iter inſpectas, ortus, diuortia, nexus,
Quæ fax fauſta micet, quæque inimica rotet,
Diuidis hinc hominum ſortes, & euntia fata,
Aeuique aſtriferâ penſa retorta colo.

Arte

Arte tumes pulchrâ:& magnó Coelo indice,& aſtris,
Semper vera putas diſcere,vera loqui.
Falleris ò quantum:errant Coelum,& ſydera ſemper,
Qui poterunt chartis vera docere ſuis?

## *In Pauperem Aſtrologum.*

## Epigram. LIII.

COncilio aſtrorum,ſtellantique æteris Aulæ
Sepius aſtriuagus iactat adeſſe ſenex.
Diſcentemque audire Iouem,curaſque Gradiui
Noſcere,quæque agitet pectore diua Venus.
Sydere & inſcripto labentia fata miniſtrat,
Et largitur opes,nutu adimitque ſuo.
Eſurit interea pallenti Aſtroſcopos ore,
Squalet,& in tecto paupere nudus eget.
Sic miſer eſt,fruitur dum Coelo;venditat artem,
Aſtraque,& eſt cenſu hoc diuite ſemper inops.

## *Horologium Sciotericum.*

## Epigram. LIV.

LEnta dat ætereis legeshæc Orbibus vmbra,
Aequat & exiguo in pariete ſolis iter.
Irrequieta diem volucrem metitur,& æquis
Paſſibus,heu,fugiunt vmbra,dieſque ſimul.
Quid iuuat,hic nectat quòd textile linea rete?
Indeprenſa tamen lubrica vita fugit.

V 2 *Idem*

*Idem horologium.*

## Epigram. LV.

TEmpora labuntur vitæ, ferro indice, & vmbra:
Stat ferrum immotum, mobilis vmbra fugit.
Nempè, fugit tempus, vitæque volubilis vmbra,
Fata ſed immotà cuſpide certa manent.

*Horologium mechanicum.*

## Epigram. LVI.

MAchina ſyderei reuolubilis arbitra Cœli
Partitur certo tempora noſtra gradu.
Implicitis librata leuem dant pondera motum
Orbibus; hinc celeres conſpicis ire rotas.
Fronte ſuper celſa dum voluitur aurea cuſpis,
Horas inſcripto flexilis orbe notat.
Mirabar vitæque fugam, tempuſque volucre,
Et rapido fugiat quòd leuis hora pede.
Cur non vita celer? properat quæ pondere præceps;
Et quam cuſpis agit, ſollicitantque rotæ?

*Horologium Mechanicum, & Arenarium.*

## Epigram. LVIII.

MOle ſub hac rapidà tempus vertigine voluit
Dente rotas, flexo & diuidit orbe diem.

Flu-

Fluxilis hic ſignat, volucres metitur, & horas.
Puluis, quæ vitreo è carcere pron cadit.
Semper atrox tempus mortalibus; aſpicis iræ
Symbola, ſæuitiæ & bina trophæa ſuæ?
Conterit hic currente rotà tua membra minutim
Mox facit, vt tenui hoc puluere trita cadant.

# Quatuor Horologia.

## *Mechanicum, Solarium, Vitreum, Hydraulicũ*

## Epigram. LIX.

FLuxa quatergeminus tibi tempora diuidit index;
Sol præpes, fugiens cuſpis; arena, latex.
Cuncta fauent, tenuis quæ labitur vnda virentis
Florem æui exiguo fuſilis amne rigat.
Indefeſſa trahit longæ fila aurea vitæ,
Pendula quæ rutilo ſtamine arena cadit.
Pariete ſol fulget, celeres illuſtrat & horas,
Pallens nulla tuos velet vt vmbra dies.
Celsà mole ardens ne terreat aurea Cuſpis;
Namque tibi, atque horis excubat illa tuis.
Fallimur: heu cunctis malè perdimur: vnda reſorbet,
Sol vrit, lacerat cuſpis, arena grauat.

*Horologium in Aerei Leonis pectore.*

## Epigram. LX.

AEneus hic certo ſignat leo tempora: cernis,
Vt monitrix fulua in fronte ſagitta rotet?
Viuere magnanimum credas vel in ære leonem;
Palpitat,& virtus pulſat anhela latus.
Horaque cum reſonat,quatit ilia,lumina verſat,
Rictus hiat,ceruix horret, & ora tonant:
Ceu velit iratis ſolidum diſcerpere tempus
Vnguibus, & fluxam dilacerare diem.
Nos miſeros: quando per fauces ,perque Leonum
Os atrox ætas lubrica tota fluit.
Nec mirum exanimem vitam ſi ducimus; illam
En tibi ſemeſam iactat ab ore Leo.

*Horologium in quo ad horarum pulſum choreæ ducebantur.*

## Epigram. LXI.

VT bellè ingenium vocali hoc pegmate luſit,
Hic vbi diſtinguit lingula docta diem.
Excuſſura horam moles priùs agmine facto,
Excitat hinc, agiles excitat inde choros.
Aerea ſtat pubes ſaltuſque imitata volantes;
Cernitur artifici membra mouere pede.

It

It leuis ad numerum, choreas texitque retexitque,
Implicat, & faciles explicat arte rotas.
Pulſatur leuibus mox ſaltibus area, pulſu-
Area cumque leui tangitur, hora ſonat.
Heu ſæuum tempus; dum nos vorat ore, teritque,
Exilit, & feſtos gaudet inire choros,
Ocyùs vtque premat nos pernix hora, volucri
A pede præcipitem mutuat ecce fugam.

## *De Horologio Organum ſingulis horis perſonante.*

### *Apud Antonium Card. Barberinum.*

## Epigram. LXII.

PEgmate quæ celſo vocalis machina ſurgit,
Quàm bellè armonico diuidit ære diem.
Namque vbi labentes horas notat aurea cuſpis,
Organa dulciſono carmine pulſa canunt.
An reſonat dum currit iter reuolubile tempus,
Vt ſibi ceu releuet tædia longa viæ?
Fluxilis an vitæ vt triſtes tibi temperet horas,
Tinnula mellifluo verberat æra ſono?
Fallimur; inſidiæ ſunt hæ variabilis æui,
Et noua Sirenum muſica monſtra vides.
Namque tuam tempus vorat inter cymbala vitam,
Cuſpide & exerta, dum canit hora, necat.

## *De Sacro Ieiunio.*

## Epigram. LXIII.

SAt genio, cyatiſque datum, menſæque, ſuperbis
Fartæ epulis, multà ſat gemuere dape
Nunc ſamius Pauo procul hinc, Afræque volucres,
Peruolet, & procul hinc Attagen Ionicus.
Sicca Ceres, virideſque oleæ, paſſique racemi
Fercula ieiunæ ſint pretioſa gulæ.
Stant Superi impranſi, incænataque Numina; Cœnes
Aut nihil, aut parcè tu quoque, Numen eris;

## *In Perſonatum.*

## Epigram. LXIV.

CVr agis inſanos alienà fronte Lupercos?
Cur iuuat & vultu laruam animare tuo?
Mentiris verſo variabilis ore, genaque
Ficta alius; ſpiras ipſe nec ipſe ſimul.
Te tegis, & mores prodis; planta alite ſaltas?
Scilicet es vacuà mente, animoque leuis.
Et iambos, facileſque ſales iacis ore diſerto;
Nulla ſed eſt lepido in vertice mica ſalis.
Ridendus fusè rides; cerebroque vagaris,
Compita cum huc illuc irrequieta teris.
Quid moror vlterius? quæ merces venditur intus;
Quæ foris eſt vultu pendula, larua docet.

## *In Romanam priſcorum Cæſarum Aulam.*

## Epigram. LXV.

DIuite qui cenſu Romanam pergis in Aulam,
Perſtrinxitque oculos pompa latina tuos.
Siſtere belligeri te Martis in arce memento:
Otia qui poterit Romula ferre toga?
Cædibus imperium, & furtis exorſa Sabinis,
Seruat adhuc mores Dardana Roma ſuos.
Et ſeptingeminò dum vertice tollitur;Hydra
Talis ſepteno vertice colla quatit.
Naufragio inſignes ſcopuli,ſ rtesque latinæ;
Sunt hæc quæ lybico è marmore tecta vides:
Virgatæ hæ clamydes luſa auro hæc ſyrmata, crede
Magnorum exuuias, quì cecidere, Ducum
Romulidum tandem capitolia cerne; ſimulque
Tarpeium hic ſaxum penſile cerne; reis
I fortunate ,i quo te vocat Aulica Roma,
Lato vbi vix diſtant vngue trophæa,neces-

## *In Iuuenem obſcæna poemata legentem.*

## Epigram. LXVI.

CYpride quid cultu ſudata volumina verſas?
Atque cupidineis carmina compta modis?
Pagina facundis dum feruet amoribus, heu quas
Concipiunt faciles pectora anhela faces.
Quàm fracta illecebris,quàm mollis ſyllaba tota eſt,
Scilicet eſt molli in carmine tota Venus.

Et

Et ferit argute, & ludit Phæbæa papyrus.
Nimirùm pueri ſpicula amoris habet.
Siſte pharetratis haurire incendia chartis,
Condere & immerito tela diſerta ſinu.
Verba nitent; culto at nimium ne crede nitori,
Si ſapis, à flamma fulgurat ille nitor.

## *In legentem Equeſtres Libros.*

## Epigram. LXVII.

PVlcra quid inſcriptas inter teris otia laruas?
Vanaque peruigili ſomnia mente vides?
Cernis, vt Heroum te ſpectra errantia ludant?
Et leuis armigerùm fallat imago Ducum?
Magnanimas certare vmbras, vmbraſque calentes,
Sæpè Dionæo feruere amore vides:
Et te larua iuuat, comptis, & paſceris vmbris,
Fictaque te rapiunt prælia, fictus amor.
Voluere ſiſte vmbras tandem: fluat ætere puro
Vna tibi certo ſole ſerena dies.

## *Quintinus Antuerpienſis, Ex fabro ferrario Pictor Puellæ iuſſu, quam deperibat.*

## Epigram. LXVIII.

CVi modò frons ardet, ſudat cui pectus anhelum,
Dum chalybem durà verberat arte chalybs.
Nunc

Nunc animat veros imitantia carbaſa vultus,
Qualia nec ſciret Coa animare manus.
Sic Iuueni Virgo pulcherrima iuſſit amanti:
Haud faber, vt dixit; ſim tua pictor eris.
Exuit ille fabrum, mora nulla, ars truditur arte,
Ilicet; it ſubitò picta per hora labor.
Credite: Amor docuit; ſingunt tela aurea telas;
Pungere, & argutus pingere nouit amor.
Et color artifici ne deſit viuus; ab ore
Pigmenta ambroſio pulchra puella dedit.

## *Inſignis pellex ad frugem corrigitur, viſo defuncti Cadauere.*

## Epigram. LXIX.

PIcta genas Pellex, flauentemque aurea crinem;
Plurima cui niueo in pectore iaſpis erat,
Ibat, & aureolo dum ſe cupit ore videri,
Forte nigri pompam funeris ipſa videt.
Decolor it feretro Iuuenis; non purpura vultu,
Non ebur, extincta in fronte nec aſtra micant.
Siccine, ait, morimur? ſic pompa ſuperbior æui
Pulchraque pallenti marcet in ore roſa?
Dixit, & intextum gemmis manus abijcit aurum;
Trànſmiſſoſque dolet pectore nuda dies:
Sic moritur pompis, perculſa cadauere Thaïs,
Morſque duo ex vna morte trophæa refert.

*Iaſone Lycio mortuo,*
*Eius Canis inedia conſumptus ad ſepulchrum interijt. Amicitiæ Icon.*

## Epigram. LXX.

VT Domini inſpexit canis illætabile funus,
Frigida, & exiguo marmore membra tegi,
Inferias gemitu ſoluit, morientis & vmbram
Vmbra optat, fato & fata ſuprema ſequi.
Peruigil hinc cineri dum mordicùs hæret, & vrnæ,
Ilicet enectum perdit anhela fames.
Et riget, extinctuſque ſimul canis impiger ardet,
Nec patitur gelidà membra iacere fide.
Fitque cinis cineri cuſtos, atque oſſibus oſſa,
Aeternaſque canis dormit ad excubias.
Diſcite quæ meta egregio qui limes amori eſt
Diſcite, mortem vltra viuere poſſe fidem.
Qui iacet: exanimi exanimis quique excubat; ille
Inclyta magnanimus det documenta canis.

*In morte Paſſeris Solitarij.*

## Epigram. LXXI.

PEnnatus fidicen Cycno facundior albo,
Viua chelis, Paſſer bellulus, heu perijt:
Quæ modo Pierio reſonabant Paſſere ab vno
Atria milleno carmine, muta ſilent.
Gonticuit chorus Aonidum; vocalior inter
Nanque ipſas triſti funere muſa deeſt.

Scis

Scis tamen, illi ſonos cur non inflectit, & ora?
Plectra nec arguto gutture anhæla mouet?
Forte indignatus, rigidam quod flectere mortem
Flexanimi haud potuit carmine, conticuit.

***Auis Paradiſi, ſiue Monocodiata.***
***Mortem eſſe ineluctabilem.***

## Epigram. LXXII.

PAr ſuperis Ales; Patria eſt mihi purior aer,
Et domus ætereis proxima ſyderibus.
Verſicolor me penna fouet, ceu vellere picto,
Et fluit ex humeris nobile ſyrma meis.
Ieiunam paſcunt rorantia ſydera puro
Nectare, & infuſo guttura melle rigant.
Mollia plumeſcunt Tyrio mihi ſtragula lecto,
Sum namque ipſa mihi culcitra, & ipſa torus.
Non triſtes agitant curæ; ſed pendula ab aſtris
Otia clementi pectore pulchra tero:
Meque ſuo donat Paradiſus nomine, deſit
Vt nihil, atque omni ex parte beata forem.
Nec tamen heu fugio fatum inſuperabile: diſce;
Aurea quiſquis amas tecta, cubaſque roſa.
Vndique mors repit. Non aer, ſydera, nectar,
Otia, pluma, torus triſtia fata vetant.

### *In Pſittacum pronunciantem, Memento Mori.*

## Epigram. LXXIII.

QVà Capitolino ſurgit Roma ardua Colle,
Forte ibam, ipſe Comes ſolus euntis eram;
Cum peregrina meas facundia verberat aures.
Et ſolida expreſſit voce, Memento mori.
Vertor, & aurato declamans carcere Eous
Pſittacus hæc liquido ſæpiùs ore dabat.
Mox ego: cum ſyluæ tu ſis regnator Eoæ,
Cur iuuat occiduam commemorare diem?
Pennatamne fugam, & volucris diſpendia vitæ
Par erat, vt volucris fortè moneret Auis?
Quid moror? arguto monitore hoc Alite diſco,
Quàm celeri pennâ mors inopina ſubit.

### *C. Caligulæ Cæſ. Nauis à Remora retardata. Parua vitanda.*

## Epigram. LXXIV.

SOluerat Auguſtus, puppique ſuperbior altâ
Per freta pontiuagus vela ſecunda dabat,
Cum ſubitò ſiſtit pleno ratis aurea velo,
Quòque magis Zephirus flat, volat illa minus.
Nauta ſtupet, Cæſarque; illuſa remurmurat aura,
Indignabundis infremit æquor aquis.

Nil moror: iniecit tantæ qui frena carinæ,
Tantulus exiguo corpore piſcis erat.
Diſcite mortales moniti non temnere parua:
Parua ſolent magnis nectere ſæpe moras.
Ingentem pulchro ad laudem qui niteris auſu,
Ne vota impedias grandia, parua time.

### *Ephebulus horologium Carolo V. Cæſari ſurripiens.*
### *Vnumquemque eſſe ſui accuſatorem.*

## Epigram. LXXV.

Tempora par Cælo qui diuidit aureus Orbis,
Aulicus Auſtriaco ſurripit arte Puer.
Conditur horarum monitrix, facundaque moles
Pectore, ſtant tacito garrula furta ſinu.
Nec mora: dum currit rota temporis, ecce ſonorum
Crimen ſecreto è pectore voce tonat.
Publicat hora reum; vindex fit tempus, & index,
Arguit atque furem pulchra rapina ſuum.
Ille rubet; riſit ſed Cæſar, vidit vt illum
Culpam haud ore ſuo bellè aperire ſuam.
Diſce: licet deſit delator, conſcia clamant
Pectora; tu ſceleris præco, reuſque ſimul.

*Malum*

*Malum Punicum.*
*Proſopopæa ad auarum.*

## Epigram. LXXVI.

PVniceis pretioſa tument mea viſcera gemmis,
Ardentque arcano pectora Chryſolyto,
Gutturaque vt releuem ſitientia diuite riuo,
Gemmatum facto vulnere pectus hiat.
Quid tu plura inhias, congeſtis vndique gazis?
Clauſaſque ærato vecte recondis opes?
Immeritum vexare aurum te carcere longo,
Non pudet? & nulli fundere dona manu?
Vis dicam? in noſtro flagrat quæ cortice, vultu
Arderet melius purpura fuſa tuo.

*Homeri Ilias in nucis putamine deſcripta.*
*Exigua eſſe mortalium mala.*

## Epigram. LXXVII.

MAeonidæ quæ plectrũ ingens, cecinitque teráplum
Ingenium, nucis en cortice clauſa vides.
Hic cædes, iræque Ducum, mixtuſque Pelaſga
Troiugeno, infenſa hic Numina Numinibus.
Hic clypei alliſi clypeis; hic enſibus hauſta
Pectora, & hic paſſim funera, fata, lues.
Stulte, quid horreſcis mala mundi dira? quid amplo
Ore, quid ingenti nomine magna vocas?
Exiguus ſunt cuncta labor: nempe ipſa malorum
Ilias en tota hic ſtat nuce clauſa breui.

*Charta*

*Charta.*

## Epigram. LXXVIII.

LIna olim in triuijs diuulſa, eiecta, decoram
  Cogit in hanc formam ſedulus ire labor.
Candida ſum, lenis, tenuiſque, plicatilis, vſu
  Nobilis, innumeras iacto papyrus opes.
Facta hominum, mentemque fero: quà fulget vtrumque
  Sydus, inoffenſo curro, recurro pede.
Muta loquor, chartæque leui ſunt pondera; flagrat,
  Increpat, illachrymat pagina, pungit, agit.
Ingenij monumenta meis complector in vlnis,
  Viuuntque in fragili tempora longa ſinu.
Aeternare virûm palmas, & fortia facta,
  Et ſignare velut firmo adamante, meum eſt.
Amplius à tenui, & modica ne quære papyro,
  Aeuum, annos, ſenium, ſecula, fata tero.

*Calamus.*

## Epigram. LXXIX.

NE me crede leuem pennam, ſpirabilis auræ
  Luſum, & præcipitis ſymbola certa fugæ.
Vt volucris videar; fluxi tamen arbiter æui,
  Siſto labentes temporis ipſe rotas.
Et ne ſudati volitent, fugiantque labores
  Ingenij, æterno pondere necto moras.
Rurſus, nulla quies mihi: terras alite curſu
  Peruolito, mundi luſtro & vtrumque latus.

Diſſipomagnorum huc illuc facta inclyta; magna
Quæpeperere ſibi nomina,ad aſtra veho.
Cœlumnempe patet nulli ſine remige penna:
Quæmeruit virtus ſyderà,dat calamus.
Diſce meas artes:Cœlum reuolubile ſiſto;
Do volucrifamam nominis ire gradu.

## *Atramentum.*

## Epigram LXXX.

NE color illudat,nigra ſub imagine vena
Purior,ingenij lactea & vnda latet.
Concolor eſt minio,ſi neſcis,concolor auro,
Sudatuſque aſtris fuſilis iſte liquor.
Dilutuſque adamas oſtro,liquidoque ſmaragdo,
Credite,non vndà nobiliore fluit.
Quiſquis es,ardenti ne ſignes nomina in auro,
Neue tuos vultus gemma erythræa notet.
Te liquor exculto è calamo ſtillatus inumbret,
Hæcauro,& gemma clarius vmbra micat.

## *Praxitelis, & Phidiæ Equi in Monte Quirinali.*

## Epigram. LXXXI.

SIſteQuirinali,nouus aduena,vertice;cerne
Vt geminus ſolido è marmore certet Equus.
Phidiacus labor hic,operoſa hunc arte Pelaſgi
Praxitelis doctæ compoſuere manus.

Par

Par vigor vtriſque eſt,non iſte ſuperbior,aut hic;
Diſſipat ille,æquè & ventilat ille iubas.
Vngula pulſet humum,ſeu verberet aera,par eſt,
Et feruet geminum marmor ab igne pari.
Bellantur tamen alipedes,atque æmulus ardet,
Aſſerere Artifici quiſque trophæa ſuo.
Parcite luctari ſpirantia ſaxa viciſſim,
Nil iuuat artificum belligerare manus.
Sat vobis certare æuo. ſat plauſibus æquis
Sternere lance pari,& vincere tempus edax.

### *Veneris Simulacrum in fonte.*

## Epigram. LXXXVII.

VNdis orta Venus vitreis viden inſidet vndis?
Et circum niueos murmurat vnda pedes?
Calcat fontis opes Cypris,reuolubilis amnis
Argentumque fugax ambitioſa premit.
Vnda fugit,ne Diua premat,remeatque viciſſim,
Calcari & pulchro à Numine dulce putat.
Siſteris at meritò,Venus,hoc in fonte profana,
Abluat vt ſordes purior vnda tuas.

### *Ineuntis anni auſpicia*
### *Ad Ioannem Paulum Craſſum Cl.Reg.*

## Epigram. LXXXIII.

OCcubuit Senior,iuueniſque repubuit annus,
Vrna ſenis,pueri cuna fuere ſimul.

Iam vagit,creſcitque inter cunabula,iamque
Prona iterum cernis conſenuiſſe fugâ
Cumque eat,& toties redeat reuolubilis;hehe
Voluitur hoc celeri turbine vita breuis.
Aeternas adamante rotas currente morari,
Quique horas poſſit ſiſtere,nullus erit.
Scis,Craſſe,vt pulchrè labenti illudimus æuo?
Scis,mora quì Cœlo nectitur?ingenio.
Stare iubet calamus currentia ſecula,& annis
Inijcit inuito tempore fræna labor.

*Breuis æui monitor Ianus.*
*In redeuntis anni Cunabulis.*

## Epigram. LXXXIV.

IAne,renaſcentis,pereuntiſ,& arbiter æui,
Cui duplex vno in vertice vultus ineſt.
Effigies diſpar:fulua hanc ſanguine inaurat,
Pingit & Hyblæis prima iuuenta roſis.
Huic ſenium,Curæque graues ſtant fronte verenda,
Algentque inſperſæ cana per ora niues.
Quam bellè ſeniumque æui,viridemque iuuentam
Exprimis,atque vno in vertice vtrumque ligas,
Mox gemino inclamans facundo grandiùs ore,
Diſce,inquis,pubi quàm propè ſtat ſenium.
Floreſcit,marcetque ſimul,ſubit,occidit annus.
Aeuo nulla mora eſt:aruit;vt viruit.

Dimi-

*Diuinus Amor γλυκύπικρος*
*In illud Amore langueo,*

## Epigram. LXXXV.

VVlnere dum languet pectus,ſua pectus adorat
 Vulnera,quæque vrunt ſpicula amoris,amat.
Mæret,& exundat ſtillanti nectare;neſcit,
 An gemat,an dulci gaudeat igne ſinus?
Pœna voluptati Comes it,dolor ipſe dolori
 Dulce leuamentum eſt;languor & ipſe iuuat.
Sic patitur,cum non patitur:languetque,doletque,
 Nec ſinit ambroſius corda dolere dolor.
Dulcia ſyderei ſunt hæc miracula Amoris;
 Dum cruciat recreat,dum recreat,cruciat.

*In Commemorationis die fidelium Defunctorum.*

## Epigram. LXXXVI.

FElices miſerique ſimul,ſanctique,reique
 Manes,quos prenſat gloria,pæna grauat,
Telluris vos ima tenet.Cœloque propinqui
 Ardua vicino tangitis aſtra pede.
Vulnerat omnipotens,ſed amat;dum vindice flamma
 Corripit,innectit gemmea ſerta Comis.
Luſtralis micat ecce dies;en aurea vobis
 Libertas puro labitur Empyreo.
Ite agiles,alas flammarum prebet,& ignis,
 Quæ vos ſæua pio vulnere flamma coquit
Ite agiles multo quà Cœlum ſydere flagrat,
 Ite,alio felix ardeat igne ſinus,

*Pro iiſdem Defunctorum Manibus.*

## Epigram. LXXXVII.

CErea, mortales, molleſcant pectora flammà,
Innocui Manes dum ſua damna luunt.
Sistite ſupplicium prece ſupplice; lachryma vultu
Deplorat & ſæuas irriget imbre faces.
Aris thura date: & quos vltrix area purgat,
Sacra vaporatis expiet ara focis.

*Ad Clericos Regulares*
*Reſpicite volatilia Cœli.*

## Epigram. LXXXVIII.

QVæ Cœlo volitat, liquidumque per aera pennà
Remige, & arguto gutture cantat auis:
Non ſerit, aut ſegetes metit impigra, nulla
Horrea ſtant, pleno luxuriantque ſinu.
Otia cùmque terat volucris, Cœloque pererret,
Non deſudata veſcitur ille dape.
Caietana Cohors, nullus tibi ſulcet Iapyx
Nec Pharius durà fronte Colonus agros.
I leuis, i pauper, Cantu mulce aſtra, Deumque,
Sydera ſic tua erunt horrea, meſſis ager.

*Ad eoſdem Clericos Regulares Conſiderate lilia agri.*

## Epigram. LXXXIX.

ASpicis vt ſurgunt vernantia lilia luxu
Attalico,& pompà Perſide culta nitent?
Eſt chlamys argento ſplendent. concolor,ardet
Quàm bellè ex auro diuite fuluus apex.
Ardua ſtant grandi in ſolio,viridemque ſmaragdum;
Gemmato calcant imperioſa pede.
Nec vigiles ducunt noctes,nec penſa fatigant;
Torta nec attrito pollice fila trahunt.
Aſtra aurum texunt operoſa;volubile Cœlum
Fila rotat; variat ſtamina & ipſe Deus.
Diſce Thienæi Soboles, Si pendet ab aſtris
Spes tua,ſi celſo à Numine,diues erit.

*Simia ludens,& digitis micans.*

## Epigram. CX.

QVàm bellè effingit ſimulatrix Simia ludum,
Aemula ſignatis dum micat articulis.
Innumeros variat numeros;ſimul hos,ſimul illos,
Nunquam eadem,digitos explicat arte leues.
Fallere & arte artem ſimulat,dociliſque videtur,
Alterius digitos,& numerare ſuos.
Nec loquitur;fingitque loqui;numeroſaque mutæ
Beſtiolæ excuſſo pollice verba ſonant.

Cumque calet digitis,pugnà calet illa: triumpho
Plaudit,cum vincit,victaque mæſta dolet.
Notus ab vngue Leo eſt:ſit ne ingenioſa?micanti
A digito argutam hanc noſcite Beſtiolam.

*Simia acu pingens.*

## Epigram. CXI.

Vidit acu artifici uariantem lina puellam
Simia,Arachnæa & telam animare manu.
Cumque Mineruali poſita mox cuſpide Virgo
Feſſa abit,& cedit mox reditura loco;
Simia,correpto ſuccedit ſtamine,telæ
Inſidet,& Phrygium iam meditatur opus.
Aemula iam pingit bellè,iamque itque,reditque
Cuſpis,& inſolito pollice currit acus.
Incautam cum pungit acus,ſubitoque dolore
Inſanit,iacit & carbaſa,ſtamen,acum.
Dum varias telam,te, Simia,tela cruentant;
Pungere te ſcis,non pingere lina manu.

*Simia galerata.*

## Epigram. CXII.

LAnguida Purpureus Princeps iam lumina claudit,
Spirat & extremis vita abitura labris:
Nudaturque domus,trahiturque inuiſa ſupellex,
Sedulus atque hinc it ſeruus,& inde redit.

Simia

Simia cuncta videt miſceri,& feruere: miſcet
Nec mora, ſe turbis itque operoſa domum.
Pariete pendebat roſeus de more galerus,
Arripit illa, caput condecoratque ſuum.
Fortè galeratam vidit moriturus, & ingens
Extemplò riſus pectora anhela quatit.
Impetus ille luem ſoluit, tabemque latentem
Aeger ab excuſſo pectore diuomuit.
Quod non Pæoniæ potuere Machaonis artes,
Vnus beſtiolæ præſtitit ecce iocus.
Indoctum vincis medicorum ſimia, vulgus:
Barbatis centum plùs pileata vales.

*Bonamicus Buffalmaceus, celeberrimus æui ſui pictor, ulturus picturam ſuam, quam fedè deformatam repererat, deprehendit, fuiſſe* Simiam, *quæ, vt eſt humanorum actuum imitatrix, ducto temerè penicillo, ipſam corruperat.*

## Epigram. CXIII.

EGregià egregius Bonamicus imagine telam
Pinxit, Apellæo dignum opus ingenio.
Grande ſed en facinus, fœda en ſpectacula mane;
En deleta nouis inclyta imago notis.
Expunctus labor eſt: ceu facto vulnere, viui
Qui fuerant vultus, conſpicit exanimes,
Ardeſcit, vultuque rubet furor igneus, vltrix
Mens agitat tabulæ vulnera facta ſuæ.
Protinus inſtaurat telam, vigilatque; virum quem
Si fortè inſpiciat, crimen & enſe luat.

En

En tibi dum pictor vigil excubat, emicat ardens
Simiolus, viſum vt ſæpè imitetur opus;
Inſidet eximius ceu pictor pegmate, lina
Serius inſpectat, ductu animanda nouo.
Vaſcula iam tractat, miſcet pigmenta, remiſcet,
Iam linit, itque exlex picta per ora color.
Vt vidit Pictor, riſit; lepiduſque furenti
Simius excuſſit tela inimica manu.
Mox ait, eſt hominum verè æmula Simia; quando
Quæ facimus, ſimili deſtruit illa manu.

## *Lucretia Romana.*

## Epigram. XCIV.

IMpigra dum niueum traheret Lucretia penſum,
Duceret & tereti fila retorta colo.
Irruit en Princeps ſecreta in tecta latinus,
Et violat caſtæ membra pudica Nurus.
Inclyta fuſa comas, lachrymiſque effuſa puella eſt:
An viuam? an potero, dixit, inulta mori?
Ille Deos luſit, ſanctum læſitque pudorem,
Ipſa ſed hoc ferro vindice damna luam.
Vt dixit, cultro vt ferijt; nec pulchrior vnquam
Cæſa tibi cecidit victima, Sancte pudor.
Candida fœdatos Lucretia reſpuit artus;
Vmbraque, reiecto corpore, nuda fugit.

*Cleo.*

*Cleopatra aſpidem alloquitur,*

## Epigram. CXV.

ME ne paludatus ſcandens capitolia Cæſar
Niliacas inter duxerit exuuias?
Aſpis ades, famæ vindex; ne nomina vulgus
Mordeat, egregios hos mihi punge ſinus.
Vincula necte citò niueis ſinuoſa lacertis,
Regia ne vilis colla catena premat.
Sat vixi Regum gauiſa amplexibus; inter
Aſpidis amplexus ſit modò dulce mori.

*In Saxonem hæreticum Luſcum.*

## Epigram. CXVI.

TVrpe vides, Saxon; ſed turpior ipſe videris;
Cùm luſca ancipiti luce pupilla micat.
Sed neque lux menti ſincerior emicat intus:
Frons eſt luſca tibi, mens quoque luſca tibi eſt.
Talis Auentinas Afer, qui terruit Arces
Annibal, ambiguo lumine luſcus erat.
Inſuper vt bellè referas, luſce improbe, Pænum
Annibalem, es dubià Punicus ipſe fide.
Pœnus at Auſoniæ pœnas dedit Annibal Vrbi,
Ergo nec impunis; Punice Saxon, eris.

*Ad Carolum Mantuæ Ducem.*
*De Mantuana expeditione.*

## Epigram. XCVII.

EN furit,& pugnæ cognatas exeitat ardens
Mars Aquilas,feruet miles,& Armá fremit
Vicit,Io,Cæſar,fumant nece mænia Mantus,
Gallus & Auſtriaco fulmine victus abit.
Romanum ne temne Iouem. Da Carole,quæ ſunt
Cæſaris:hæ leges,hæc rata iura Dei.

*Guiglielmus Vuardus Anglus Octuagenario maior Chriſti anno 1641. Londini pro religione orthodoxa occiditur,diſcerpitur. Cor in ignem proiectum Gallus quidam adoleſcens auſu magnanimo medijs è flammis corripit; Fugientem inſequuntur AngloCaluiniſtæ, raptumque è manu cor,iterum in ignem conijciunt.*

## Epigram. XCVIII.

EGregij diſcerpta ſenis dat membra volucri
Anglia,ſola iacit corda cremanda rogo.
Galle,vides facinus mox ardens inſilis vltrò,
Et rapis iniectà corda peruſta manu.
Dum fugis inſequitur,feruet,fremit Anglica pubes,
Te tenet immeritum,raptaque furta rapit.

Redde

Redde Sacram,Iuuenis prædam,quod iugiter arſit,
  Ardeat,& magnus flagret in igne cinis.
Nempè litat Cæſus pulchra dum morte Sacerdos,
  Sint pia Corda ſimul,victima,thura,focus.

# Henricus Dux Guiſæ.

## *Compoſita re Neapolitana fugam arripit.*

## Epigram. XCIX.

PArthenope dat prona manus, quæque ore momordit
  Indomito, didicit iam ſua fræna pati.
It ſublimis equo Auſtriacus, volitatque ſagatus,
  Vrbis amor,blandus fulmine,& ore ferox.
Nec mora:Gallus abit:fugit arma ſequentia,victis
  Vna ſalus,celerem corripuiſſe viam.
Diſcite:nempè vnum ſeſſorem geſtit Iberum
  Dorſo ferre ſuo Parthenopæus Equus.
Te tamen haud repulit,Guiſi,tibi ſubditur vni;
  Præcipiti vt poſſes victus abire fugâ.

Hen-

# Henricus Dux Guiſæ.

## *Ex fuga retrahitur* Captiuus.

### Epigram. C.

EN fugit Henricus; ſtimuliſque ardentibus actus,
Impiger, at Domino lentus, anhelat equus.
Nec fugiſſe iuuat; Curſu velociùs omni
Fulminis Auſtriaci penna coruſca volat.
Martia ponè acies ſequitur, profugumque capeſſit:
Hoc deerat victi vt dextra reuincta foret.
Quàm merito pulchra qui libertate rebelli
Blanditur Populo, perdidit ipſe ſuam.

# INAVGVRATIO
SIVE
INSCRIPTIONES ALIQVOT

*Noſtro Neapolitano Sanctorum Apoſtolorum Templo appoſitæ.*

Cum ab Eminentiſs.mo

CARD. PHILAMARINO

*Ritè eſt conſecratum.*

# P. D.
# LVDOVICO ANTINORO
Cler. Regul.
Ioſeph Silos felic.

PEracta non ita pridem Sanctorum Apoſtolorum Templi, vbi tu præes, inauguratio eſt, humaniſsime Ludouice, fauſtè quidem, & quà Principum virorum, ac matronarum celebritate, quà populorum æſtu, ac plauſu; quà cætero deindè cultu nihil auſpicatius. Planè, Neapolitanum Sacrorum Pontificem Philamarinum id operis, ſacræque functionis nauaſſe, neſcio, an accedere ad ornatiſsimæ Baſilicæ ſplendorem magnificentius corollariũ potuerit. Viſum ab auguſta ea manu, à purpura, à vultus maieſtate neſcio quid grandius, ac ſumptuoſius adhæſiſſe aureæ, excultæque ad miraculum Aedi: quæ ſanè certare nunc cum Neapolitanæ Ciuitatis Principe Templo audet; quando eadem vtrumque religio, ac manus conſecrauit. In hoc verò certamine triumphas ipſe ſplendidè, tanta dignatus inclyti Principis beneuolentia. Porrò, ne ingratæ interim litteræ, atque ipſimet inaugurandi conſuetis religionibus parietes ſilerent, iuſſe-

ras ipſe excipiendo, celebrandoque ampliſsimo Antiſti inſcriptiones, elogia, emblemata: Et inſtitueram ego tuo nutu hanc Templi facundiam lucubrare. Verùm quòd maturari plus nimio ceremoniam oportuit, inchoatam eam laudem, atque adumbratam vix primis lineis abrupi. Hæc ipſe modò ingenij, ac ſcriptionis rudimenta euulgare, quæcumque ea ſint, ſtatui; & ne tui erga beneuolentiſsimum Cardinalem obſequij, gratique animi conatus laterent, perbreuem hanc Operi laciniam, ſiue appendiculam attexere. Præcipue artes eæ ſunt, quæ Templis, ſiue excitandis, ſiue ornandis operam adijciunt ſuam. Harum agmen ducunt, hinc religio, quæ profanas eas ſacrat; hinc magnificentia, quæ alit, addicitque operi. Plura equidem ordine quodam, Templorum videlicet dignitati accomodata, conceperam, quæ peruenire ad maturiorem partum, ac limam minimè potuere, nec poſtea ad rerum noſtrarum hiſtoriam properàti perficere, otium fuit. Pauca hæc igitur ſtyli fragmenta, quæ integrum obſequium in te meum teſtantur, patere, Antinore, vt ſub tuo item nomine prodeat: feſtinata, ac ſubito calore fuſa minus accuratè, proindeque cum nihil ijs inſit quæſitæ elegantiæ, tuam in ampliſsimam Purpuram obſeruantiam expriment candidius, ac verius. Vale.

# EXCIPITVR

Eminentiſs. Card.

# PHILAMARINVS

*Inſcripto pro foribus eiuſmodi inuitamento.*

SVccede Templo, Flamen Auguſte, Sacrorum Rex.
Succede chlamydatus auro, velatus byſſo.
Fluat infulato à capite vitta ſolutior,
Ardeat gemmis tiara, ac fulguret ſerena fronte.
Vibret verēdo ore vis Numinis, quod dignitate repreſēta.
Scilcet, hic te cultus, ac vultus decet,
Vt hanc ritè, ac fauſtè inaugures Baſilicam,
Quam nuper ornaſti baſilicè
Inclaruit abundè iam à tua magnificentia,
Dedicata ſplendidiſsimè magnæ Matri Aede,
Marmorea ea quidē, ſed quā tu facis religione tua aureā.
At nunc conceptis ſacris, afflato Numine,
Inſperſa inter opobalſama ſanctitate,
Purior inde accedet Diuinitatis lux:
Et quicquid tetigerit, Deo propior, tua manus, gemma fiet.
Nos Clerici Regulares, effuſi in grates,
Hanc nobis fusè Philamarinam beneficentiam gratulamur.
Dicent hæc noſtri olim faſti non ſine pio faſtu.
Et quibus nulla contigit auſpicatior dies,
Signabimus illam auro.

*Religio*

# *Religio* .

AGe terrarũ Domina, magni Numinis incrementũ,
Auriga virtutum,Religio,
Profanas olim artes in adyta Diuinitatis,mutato cultu,ad-
Hactenus ad balnea,theatra,fora,faſtũq.mortaliũ(mitte,
Seruilem in modum excubarunt.
Nunc,excitato ad æui inuidiam Templo,
Fauente te,ſua veluti in aula regnent,
Famulitio Numinis pręnobiles.
Eſt ſua operi merces.
Tu artes conſecras,dum Templo aſſeris.
Tibi decus aſſerit Sacrorum Princeps Philamarinus,
Dum Templum ritè conſecrat.

# *Magnificentia* .

CEnturiatum hic vides pręſtantium agmen artium,
Duce Magnificentia.
Iis inuicem,aut certantibus,aut fęderatis,
Euecta ad laudem operis pulcherrimi ſacra hęc Aedes,
Vt ęuum ſplendidè triumphet.
Gratularis Tu,magne Conſtantine.
Quod excitata tuis olim curis,ac auro Baſilica
Se nunc celſior idea,cultu,
Tibi,ac Cœlo propior aſſurgat.
At luculentius inde tibi lętitię argumentum;
Quod Conſtantinianum opus Philamarinus Princeps
Nobilitet nomine,ſacret Numine.

*Archi-*

## *Architettura.*

AVſpice me,ſaxis pendentibus inclyta moles
Surgit,& æterno pondere ſtare vides.
Proxima ſunt ſtygijs vmbris fundamina;rursùs
Proxima ſunt Cœlo tecta operoſa ſuo.
At cum Myſta ſacrat,ſpectandus murice;iure
Sydera nunc lambunt,iure Acheronta premunt.

## *Perſpettiua.*

LVdimus,& fictis ſtant molibus atria: bellè
Porticus it mendax,quam leuis vmbra notat.
Fallitur obtutus falliqúe ab imagine gaudet,
Et quæ mentitur linea, tecta placent.
Credite;iam mutor,cum me Myſta inclytus afflat:
Sumque aliquid;fueram quæ iocus,vmbra nihil.

## *Pictura.*

Illa Ego artium Antiſtita,Naturæ Vicaria,
Aſpectabilis animorum illecebra.
Meo nutu calet in exanimi vultu vitæ fax perennior.
Vt fato iterum illudant à mea manu,
Heroàs elucubro.
Quàm arguta lux tabulis ab vmbrarum elegantijs?
Quid pulchrius admirationis ſilentio,loquente tela?

Diui veſtram fidem
Nullibi efficacius ſpirat color,
Quàm in nuncupato hoc veſtro nomini templo;
Muſæum nempe animat
Auguſti Principis Philamarini digna Cœlo* Icon.

*Alluditur ad eius effigiem muſiuo opere ſuo in ſacello expreſſam.*

## *Sculptura*.

QVid valeant ſculpturæ miracula,
Edocet Mariana hic *Aedes miraculo propior,
Quam artificum ingenia ad Philamarinæ magnificentiæ
Palpitat hic emollita ferro Caryſtos: (geniū deſudarūt.
Spirat citra anhelitum Paros:
Viuit erudito à vulnere Syene:
Deerat, vt ſolenni huiuſce Templi inauguratione
Accederet tanti operis maieſtati hæc etiam ſanctitas.
Cerne vices.
Sacrat Philamarinus marmora.
Aeternant marmora Philamarinum.

*Card. Philom. ſacellū.

## *Plaſtice*.

SVm grandeuior artibus, vetuſta
Si cunabula cernis, & Parentem.
Numen tractat humum, politque ad vnguem
Primæui faciem Viri, manuque

Spirat

Spirat ſyderea cinis ſuperbus.
Hinc naſcor ſoboles Dei, tholiſque
Et Templis ſimulacra culta, docti
Et miracula pulueris repono.
Me nunc dedicat aureus Sacerdos,
Cui perſoluere gratiam, vicemque
Vellem grandius: ora nempe fuluo
Auro fingere, gratioſiores
Et gemmas animare, humo relicta.

## *Fuſoria*:

SVm Fuſoria; nomen innuiſſe,
Sat eſt; ęmula temporis volucris.
Aurú Dalmaticú, & Corynthus æra
Quæ mittit, liquidis calent caminis.
Tum fuſa artifici metalla ductu,
Fingunt ora hominumq; cælitumq.
Ridetque egregius labor rapinam,
Et diſpendia curſitantis æui.
At tu purpurei decus ſenatus,
Temnis fuſile quicquid arte viuit:
Tu ſignum tibi, ductiliſque vultus:
Tua eſt aureus indoles coloſſus,
Aeuumque auſpicijs tuis triumphas.

# *Phrigiaria.*

SI neſcis, mei luſus, & curæ ſunt,
Ad aurea ſyrmatum vulnera Phrigias exacuere (acus.
Nihil mea cuſpide magnificentius,
Aurum fundit, dum fodit.
Quam bellè pepla iſthæc Attalica
Affixa Templis intermicant,
Scilicet iure fulgurat tonantis Regia.
At credite: nondum artem exerui meam:
Elegantior pingendæ Orbis Inſulæ acus reſeruatur,
Quam olim induet Auguſtus Princeps Philamarinus.
Qui Templum iſthûc religionibus inaugurat,
Aſpectu inaurat,

# *Sericaria.*

MIhi ſplendidá ſuorũ nemorũ comá ambitiosè depe- (ctunt Seres:
Mihi ſuam net pretioſam animam bombyx,
Sumptuoſa viſcerum lacheſis.
Ipſa ſericarium ſubindè opus texo,
Et pellucida, eunte redeunte radio, ſyrmata.
Hoc nunc ornatu paludata triumphent Templa:
Hæ pietatem excitent oppanſæ aris auræ textiles.
Decet hæc magnificentior pompa celebritatem.
Nempè dies à Philamarina fauſtitate ſolennior.

## *Bractearia.*

VIdes, vt altum fornicis aurei
Culmen ſuperbo lumine fulguret.
Coruſcat aurum latè, & auro
Luxuriat paries nitenti.
Ceu Mida quondam diuite dextera
Attacta mutat; ſic manus æmula
Hæc noſtra, ſi tangit, aurata
Templa iubet radiare lamna.
At tu latina nobilis Inſula,
Princeps, inumbras tecta micantia,
Sordeſcit aurum, cùm decora
Luce ſupercilij renides.

## *Odoraria.*

REgina templum Relligio ſacrat,
Funditque fluxu diuite balſama.
Manante gutta. *Myſta fragrat,*
Inclytus & redolet Sacerdos.
Sudata truncis balſama ſunt mea,
Ipſa & Sabæi pulueris arbitra:
Me tangit iſthæc vis odorum
Fuſilis, atque Arabum voluptas.
Sed macte, Flamen Parthenopes, tua
Spirat calenti thure beatius,
Virtus, & afflat Templa, nardo
Gratius Aſſyrio, roſaque.

*Mer-*

# *Mercurius loci olim Genius.*

HAec tecta; hanc olim tenui Cyllenius Aulam,
Fumauitque meis nobilis ara focis.
Mox erepta mihi ceſſere Sacraria Diuis,
Vena quibus ſacro purior ore fluit.
Indolui tantis cecidiſſe penatibus: æqua
Sed fronte, & facili pectore damna tuli.
At cum Templa Sacrat manus inclyta, vellicat, heu, me
Tantus honor, nimium diſcruciatque dolor.

*Pauli*

*Pauli Toloſæ Cl. R. Epiſcopi Bouinenſis, tum Archiepiſcopi Theatini nomen abundè clarum ab inſigni eloquentia eſt. Muſæ item Ioannis Baptiſtæ Marini inter Etruſcos Poetas celeberrimi, nullibi non plauditur. Horum cineres cum in eadem hac Sanctorum Apoſtolorum Eccleſia iaceant, monumentum vtrique excitare Patres cogitarunt. Inſcriptiones, quas ipſe ſoluta oratione, ac verſu, (nam ſic locus poſtulat) concinnaui, debere hic nolui.*

PAuli Tholoſæ Neapolitani Cl. Reg.
Quicquid eſt poſthumi, hic habes:
Quicquid tumulo ſuperius fuit, hic lege.
Inter præcipuas animi dotes,
Natus, expolitus ad Sacræ eloquentiæ numeros: (tas.
Dictio illi quã & actio incéderet, & comeret oris digni-
Plauſorē habuit diſertiſſimum diſertiſſimus, Panicarolam.
Appellatus ab eo vna cum Marcello frátre, Boanerges.
Nempe ſupra hominem facundi,
Miſcere cœleſti tonitru ſubſellia videbantur.
Inclytum Eccleſiaſten Bouinenſi Inſula cohoneſtauit
Clemens Maximus Pontifex Octauus;
Qui aureã eloquentiá adæquare purpura cogitauit:
Munijtque viá honeſtiſsima ad Sabaudię Ducē lega-
Inter hęc laudum decora )tione.
Nihil

Nihil in illo ſanctitate morum luculentius,
Dilapſus è Cœlo B.Andreas Auellinus
Solitus illi manus oſtendere, ad amicitiæ ſiue pignus, ſi-
Demum Archiepiſcopus Theatinus, (ue illecebrá.
Pietate, quo maturus obijt ſua in ſede luctu omniú pera-
Pio Cineri cerbo.
Qué huc transferendú curauit Aloyſius Sanſeuerinus Biſi-
Clerici Regulares, (niani Princeps conſanguineus,
Abſterſa, quę ornandę virtuti impar eſt, lacruma,
Aeterno elogio parentant.

Hic ingens tonitru Italię; hic ſitus ille Toloſa,
Publica quo mirè viſa theatra quati:
Nomina dat Paulus merito: ſic arſit; & enſem
Fulmineum ore tulit, quem gerit ille manu,

Ioannes Baptiſta Marinus Neapolitanus,
Inclytus muſarum Genius, elegantiarum Parens,
H. S. E.
Natura factus ad lyram:
Hauſto è Permeſſi vnda volucri quodam igne poeſeos,
Grandiore ingenij vena efferbuit,
In vna Italica dialecto
Graiam, latiam ad miraculum miſcuit muſam;
Egregias priſcorum Poetarum animas
Expreſſit ipſe omnes:
Ipſum exprimet nemo, pręter omnes.

Cecinit

Cecinit ęqua laude ſacra profana,
Diuiſo in bicipiti Parnaſo ingenio,
Vtroque eo vertice ſublimior.
Extorris diù Patria, rediјt Parthenopem, Siren peregrina;
Vt propior eſſet Maroni Marinus.
Nunc laureato Cineri marmor hoc plaudit.
Vt accinit ad ęternam cytharam
Famæ concentus.

Hic tumulus, magni breuis hęc eſt vrna Marini;
Illius hoc tegitur marmore fracta lyra.
Clara mari traxit cognomina, gurgite pleno
Carmina, & arguto qui dedit ore ſales.

# Ill.^mo & Reu.^mo Domino
# THOMÆ CARACCIOLO
## Archiepiſcopo Tarentino.

### *Ioſeph Silos S. D.*

DEſcriptas poeticè Virorum aliquot Principum à me laudes, quas Iconas Heroicas nuncupaui, cum aliorum quidem nutu, non mea ſponte edere in lucem decreuiſſem, venit mihi in mentem, Præſul Illuſtriſs. dilaudaſſe olim me pleroſque è Gente Caracciola Heroas, illos nimirum, qui haud abrupta nepotum ſerie ad Abellinenſium Principes, Maiores tuos, vt inclytum Genus, ita & egregiam indolem, animique magnitudinem deriuarunt. Occaſio ornandi magna ea Nomina funus fuit Marini Caraccioli, Abellinenſium Principis Tertij, tui germani fratris, erepti ab humanis dolore omnium peracerbo. Complexus namque ipſe, adhuc Clericus Regularis ampliſſimæ Domus Curas, quas tuæ illæ fidei ſupremis tabulis legauerat, nihil habuiſti antiquius, quam honeſtare exequiarum iuſtis optimi perindè atque amatiſſimi fratris memoriam, ac cineres. Viſa profectò magnificentia tua principe quadam pompa Marini meritum adæquaſſe; ductumque funus ſplendidiſſimum, regium, ſupra fidem. Theatrum, Paulina noſtri Ordinis Baſilica fuit, inter Neapolitanas ornatiſſima.

Exci-

Excitata præcelſo quidem pegmate ſepulchralis moles, multiplici columnatione, erectiſque in orbem, ac non vno planè ordine ſimulacris, auguſtior Stratum in ipſa mole puluinar atque emortualis torus regio more, & cultu, ardebatque confertiſſima, veluti ad pyram, fax. Pullata vndique Templi facies ſpirare quid grandius inter ipſa triſtitiæ imitamenta videbatur. Iam, procurrentium ſupra coronicem luminum ſeitum; Emblemata ad virtutum ſpecimen, inſcriptas auro nænias, luctuoſam vbique ſyrmatum pompam, funebres inter inſulas ſtemmata, choragium demum omne, tum inferias, thura, apprecationes, populorum celebritatem nullus profecto exequauerit ſtylus. Satis pientiſſimi fratris in Excellentiſſimum fratrem charitas inter collucentes liquataſque in gemitus, veluti à ſenſu doloris, faces inclaruit. Ipſe demandatam à te funebrem laudationem è ſuperiore loco dixi ad clepſydram lachrymarum: compoſitus ad mærorem ſermo, vberrimo quidem fletu, non minio vermiculatus. facundi item à meo calamo parietes inter columnia, fores, propylæum inſcriptis non vno planè metro carminibus. Quod vero precipuè ſtylus deſudauit ea fuere Virorum Principum, tuorum, videlicet, elatique fratris Auorum, qui belli, ac pacis artibus ſupra inuidiam floruere, elogia. Expreſſi ad viuum Heroes illi, iuſſique, facto agmine, adſtare magnæ Vrnæ acerrimam vim doloris obſtinato ſilentio teſtabantur. Quorum vultus animauerat arguta manu pictor, illorum facta, ac mores delineaui ipſe calamo; libata nimirùm carptim virtute ſingulorum, nam fusè exornare, nec ampliſſimo

Tem-

Templo locus, nec ſcriptori in eo rerum, ac lucrubationum æſtu tempus ſupererat. Planè, vt conſertiſſimum, pulcherrimumque veluti theatrum conficiebat illa clarorũ Ducum series; ita periucundum omninò erat multiplicem eorum cum ciuicam, tum militarem prudentiam, factumque ad vtrumque tempus ingenium, palmas item, ac quæſitas bello quercus ijs litteris conſignatas, perlegere. Nullus inclytæ ſtirpis in tanta celeberrimorum capitum celſitudine fæcunditatem, ac numerum non effuſe admirabatur; quippe non ignorabāt, eas eſſe naturæ leges, vt quę Leonem parit, vnum pariat. Quòd, cum nec omnis ampliſſimæ familiæ illic proſtaret cenſus, ſed tuę duntaxat Abellinenſis Domus deductus à Ioanne Rubrò ramus aureus, quantum inde gliſcere intuentium admiratio, atque admurmuratio cernebatur? Hinc ab vnius huiuſce ſurculi maieſtate, atque amplitudine reliquam ſtirpem longè populoſiſſimam cum coiectarent, omnium certatim linguis celebrantur frequentiſſima Heroum agmina, ſpiſſa rerum geſtarum monumenta, laurearum ſyluæ, triumphorum faſti, gloriarum cumuli, Principum clientelæ, Regũ affinitates, Regnorum firmamenta, trabeæ, paludamenta, faſces, dominationes. Redeo ad Maiorum tuorum elegia, quæ diù apud me preſſa, tandem vt quemadmodum ſuum Heroicum Muſæum habet poeſis mea, ita ſuas etiam Heroum effigies haberet proſa oratio; illa euulgare ſtatui digna luce, ſi fortiſſimorum Ducum ſplendorem, ac famam, non lucubrantis ingenium ſpectes. Habes igitur, Thoma Caracciole, tuorum hic Auorum panegyrim, eorumque Icones,

ſtylo,

ſtylo,non ære;aut auro ductas: plures illæ quidem non tamen omnes; excidere ſi quidem neſcio quo magnorum nominum fato non paucæ;quas item, vt effudit tunc calamus,excepere nunc typi:neque enim vt eas accuratiore lima recognoſcerem, aut augerem ſecundis curis, otium mihi fuit Præterquam quod,cum à ſuo cultu,atque ab ea deſcriptarum virtutum maieſtate abundè explendeſcant,ſuperuacaneum profectò erat, quæſitiore ſtudio, ac pompa expolire:quod eſt ex ſe ornatiſſimum. Iam verò,Heroas tuos cui aptiùs ipſe obtulerim, quam tibi,cuius indoles tantùm hauſit ab ea Maiorum gloria magnificentiæ, ac lucis? Domeſtica iſthæc ornamenta ſunt, ac tua; iuuabitque compendiario elogio,veluti de vultu cernere illuſtres eas Animas, tuos nempe Tritauos,Abauos. Atauos; Patruos,fratres,ac ipſum Parentem tuum Camillum, hoc eſt, florem illum bellicæ laudis,Hiſpanæque potentiæ momentum,ac vindicem; cuius à preliari ingenio vt ingens acceſſit militię decus:ita Gens Caracciola,quæ militari virtute excreſcere minimè poſſe videbatur,fama tanti nominis faſtos ſuos,rerumque geſtarum gloriam grandi quodam auctario cumulauit. Id verò,quod ad me attinet, maximo planè opere mihi gratulor:coniunctum videlicet cum hiſce elogijs obſeruantiæ in te meæ documentum, ac ſpecimen eſſe. Enimuero nec me tibi ſiſterem magnificentius;quàm tuis immixtum Atauis;nec patere clarius ſtudium in te meum,quàm in ea excellentium Heroum luce vnquam potuiſſet. Porrò qui Tarentinas Inſulas ita induis, vt eſſe te Clericum Regularem memineris,nec magis tuæ colis fa:

miliæ Conditores, quàm Auctores noſtri Ordinis venereris, congruenter tuæ pietati me facturum, putaui, ſi tuorum his Maiorum Elogijs, Sanctiſſimi Parentis Caietani encomium præfigerem. Scio ego, ita te æternæ Thienæi memoriæ, ac Sanctitati addictum, vt excitandæ etiam aliorum religioni eius egregiè vitam conſcripſeris. Deerat nempè magni Parentis virtuti Infulatus is calamus, qui præclara eius facta non impare dictionis grauitate, dignitateque exciperet. Rerũ, quas ſcripſiſti compendium nunc habes in hoc elogio, eritque ſane percarum tibi, vt antequam ad Maiores tuos ingrediaris, occurrat in ipſo ſtatim veſtibulo ſuſpiciendus tibi, venerandusque Caietanus; quo auſpice initia, atque incrementa ſpiritus accepiſti, non minus, quam ſpirituum altitudinem à Maioribus. Vale.

# BEATO CAIETANO THIENÆO

NOuo vetuſtiſsimi Ordinis Aſſertori,
Parenti incl yto,
Aude meritam laudem perſoluere, vel audi,
Theatina Poſteritas.
Vicentiæ natus, præit adoreas, ac palmas ſuas
Triumphali Patriæ nomine, an omine?
Editus trabeata ſtirpe,
Trabeatum Orbi daturus ſodalitium:
Crucis ſcilicet trabe clarum.
Thienææ Gentis purpuræ paludamenta ſpreta erubuere.
Splendidior Nepos, ſpretis Auorum opibus inops.
Orbis bono natus in Orbis dominam Vrbem immigrat:
Ne longè abeſſet à Marathone Capitolium.
In diuini Amoris larario tyrocinium ponit, emeritus,
Romæ hoc eſt, in Martis Arce Amori litat, militat.
Vt collapſam in cinerem Apoſtolici ſpiritus facem
Ab ea flamma excitaret.
Vaticano colle, nuncupatis Deo votis,
Vilem induit lacernam, deuictæ iam cupiditatis exuuium.
Ferream auri tyrannidem
Vicit pectore χρυσοῦ χρυσοτέρῳ.
Ipſiſſimos priſcæ paupertatis vultus tam argutè delineat,
Vt tantum pulcherrimo operi lingua deſit.
Mutam voluit paupertatem ſuam;
Vt poneret paupertati metam.

Minùs à Deo deſertam fore,
Si foret ipſa minùs diſerta.
Immani barbarorum irruptione haud frangitur metu,
Integer vitæ.
Floribus,ac lemniſcis Aram concinnat;
Vt Inſulata veluti victima pulchrè occumberet,
Ante Aram orans.
Ceruicem inflexit,non animum.
Dat Parcæ iugulum,animæ magnæ prodigus.
Non expalluit ſanguine effundendo,
Erubuit non effuſo.
Vaticani carceris tenebris à nefarijs tenebrionibus
Mancipatur,Orbis lumen.
Reuinctæ illi manus,non lingua:
Concinit propè lethum lætus:
Purpureus olor,martyrij candidatus.
Orat plurima manante lachryma,amoris ebrius.
Mens illi innubes,vernans oculi ſemper pluuij.
Flagris ſæuit eò alacrius,quò flagrat acrius:
Lictor,& victor ſui.
Fractam Sodalis tibiam ſanat
Quo eius nomen clarius reſonaret.
Tempeſtate oborta,
Feruentiſſimis precibus mare deferbuit.
Vita functis reddidit vitam;
Qui tot perfunctus laboribus ſuam fuderat.
Virtutem miraculis,miracula virtutibus cumulat.
Cœli prodigium.
Supremo ſpiritu poſcit cinerem,

Bea-

Beatiſſimas Empyrei flammas mox hauſurus.
Colligitagone vltimo pulueré Olympicũ, Athletã egregius
Cui palma nobilis Cœlo creuerat ab exhauſtis ſudoribus,
Victori optimo.

# GENTIS CARACCIOLAE Elogia.

## Elog. I.

IOannem cognomento Rubrum,
Montis Matani Comitem, Trinacriæ Proregem,
Quo dictionis lumine exornem?
Hic ne Inarimem Turcico furori exponeret,
Se prius inuicto ſpiritu flammæ expoſuit.
Cōflagrauit* Ambuſti ſoboles, virtute flagrantiſſimus.
Nempè fides vsque ad aras.
Lapſa iu cinerem membra, non laurea.
Nec flammam timuit pectus adamantinum.
Erit Arx illa Aenaria ad verum iter gloriæ
Pharos Memphitica.
Saluete inuicti Cineres:
Immortalia virtutis monumenta. Et ab Aeacidis
Salue, Aeacidum optime.
Qui tantam è tuo incendio lucem nomini peperiſti,
Quantam ab exuſto Ilio hauſit ipſe Aeacides.
I nunc, lege gloriæ veſtigia ab ignis liquidiſſimi ſplendorē,
I, Heros magnanime,
Parta ab igne trophæa Coelo infer, velut in ſinum lucis;
I Victor ab igne ad Empyreum.
Nullum dignius exuſto Capitolium.

* Gens Caracciolà ab Ambuſto Caracciolo originē reuocat

Elog.

## *Elog.* II.

TE, Alberte Caracciole,
Famæ tuæ admurmuratio merita laude proſequatur,
Ingenio acer,animo elacer,mánu impiger,
Manfredus,cui Pallas ipſa Marte hymenæo nupſerat,
Te ſuos inter conſanguineos cenſet.
Satis hoc ad nobiliſſimi Generis laudem.
Ampliſſimo Templariorum Equitű inſignitus Magiſtratu,
Illo veluti laticlauio currentis fortunæ rotam firmaſti,
Viſus non tàm Templariorum faſces capeſſiuiſſe,
Quàm Inijſſe honoris Templum,
Vt litares gloriæ.
Solimæ diù felicia tua arma excubuere;
Nempè,vt triumphis tuis ſuas palmas adderet
Vicina Idume.
Porrò inclaruere ad lucem illam ſummæ dignitatis
Mores regij,
Quos ſeculorum memoria in ſinum repoſuit poſteritatis:
Ad nepotum imitamentum.
Ad famæ immortalitatem.

## *Elog.* III.

PHilippus Caracciolus Viola, Montis Marani Comes,
An Patris decora, an Nepotum iactet?
Ioannis Rubri filius.
Quid illo Inarimes Cinere luculentius,
Ad ardorem animi,ad lucem nominis?
Quas ille faces è Patris incendio ſuo lateri admouit,

Poſteritati prætulit ad gloriam.
Hoc fonte Abellinenſiũ Principes Genus deriuarunt ſuũ.
Hauſit,auxit auitum decus inclyta Progenies;
Fecitque lucem,vmbramque Atauis.
Perſpectæ Friderico Cæſari ipſo flore ætatis clar.Iuuenis
Fides,Conſtantia,
Publicis tabulis eximia laude cumulantur.
Præteruehit virtus ignea Cœli curſum;
Nec æui expectanda periodus,vbi indoles maturuit.
Sat tibi,Philippe fortiſſime,incorruptũ Cæſaris teſtimoniũ
Sat datum faſtis nomen.
Ille ætatis ineuntis incrementa litteris conſignauit.
Tu illuſtria maturioris æui monumenta æternitati.
Vtraque concepit admiratio.
Excipiet æmula Poſteritas.

## *Elog. IV.*

EFfulgeat clariſſimo in hoc Heroum Choro
Illuſtre Sydus,
Ioannes Caracciolus Viola eximij Vir ſpiritus.
Virtus,animus,conſilium illi ſupra hominem,
Quam rerum geſtarum gloriam terris diſſeminauerat
Gens Caracciola,
Excepêre nunc maria,
Maritimæ Claſſi,quam Reginarum ornatiſſima Ioanna,
In Pannonios adornauerat,
Præficitur Ioannes.
Quid Claſſis illa metueret,
Quæ tanti Ducis fortunam vehebat?
Vngarici vim impetus ceu ingens ſcopulus fregit:
In-

Infractus ipſe periculis ;
Viſus adornando Generi,ac nomini,
Purpuram,gemmaſque è mari, cui præerat,expiſcari.
Nec deeſſe illi,inflando famæ lituo,aura poterat,
Qui iura ventis dabat ſua Claſſe.
Remetitur emenſum æquor gloria circumfluus ;
Sequuntur admiratio,fauor.
Aſſeruit namque Ioannæ Regnum;Regnó pacem,
Paci decus.
Nobiliſſima triumphis hiſce area ſeſe explicet
Adriæ ſinus.
Vel in ipſo pelago palmas habuit,quas demeteret

## *Elog. V.*

BErnardus excelſiſs. virtutis Card. Caracciolus,
Qui primus è ſua Gente in Purpuram euaſit,
Inſtaurata nominis memoria,
Debitum decus perſoluat grata Poſteritas.
Parthenope dedit cunabula,
Indolem Genus,artes bonas ingenium:
Ampliſſimam Infulam Eugenius,Theatrum Vrbs,Orbis.
Ad amæniſſimum doctrinæ ſplendorem,ad famæ auram
Ad ſudorum riuulos roſeum illud Romanæ Purpuræ de-
Singulari munificentia, (cus effloruit.
Purpureus quidem ſibi,cæteris aureus.
In negotijs obeundis.explicandis,
Quà Conſiliorum pondus, quà ingenij celeritas valuit.
In grauiſſimarum rerum momentis lente feſtinus.
Salue Princeps optimè,lux Generis,nitor Purpurę.
Supremá tibi Vaticani fauor vaticinabatur Dignitaté.
Tu

Tu iuſta gloria plenus,potiris Cœlo;
Vt ſummæ Virtuti,non ſummæ Dignitati
Veneratio exhiberetur,

## *Elog. VI.*

NEctat iam auream hanc Heroum Seriem
Venerabilis memoria
Nicolai Caraccioli Cardinalis, & Mamertini Hierarchæ.
Cui inter tot Generis,ac honorum appellationes,
Potior innocentia,ac morum fama.
Nõ tàm Prædicatorũ Ordinis lacernã induit prætextatus,
Quàm in voluptates,genium,illecebras,
Sagum,bello implacabili.
Nec deerat inflãmando pectori è flagranti Dominici Ca-
Ampliſſimus ille nat. lium fulgor (nicula fax.
Obſcura ac paupere cellula luce claruit puriore.
Nempè quorũ lateri adhæret,latere non ſinit inclyta vir-
Illibatæ Virginis illius Senenſis (tus.
Excepit ante labeculas,cõcepit pectore vim Numinis;
Ad ſupremum ſui Ordinis faſtigium pleno virtutum gradu
Parentis Parens. (graſſatus.
Mox rapitur ad Inſulas,
Suorum decorum minio,ac ſucco Tyrio bis tinctas.
Legatum Reges Neapolitani,ac Veneti ſuſpexere;
Senſere ineluctabilem vim eloquentiæ,
Cui ab animo ardor,à Purpura color inerat.
Tu Præſul optime,
Ad hunc gloriarum cumulum laureas addis nobiliores,
Pietatis laude.
Dignum Cœlo Caput,
Quod Religio ſplendidius religat,quam Vitta;

Elog.

## Elog. VII.

Conradus Card. Caracciolus, S. R.E. Camerarius,
Gradenſis Patriarcha, Arch. Nicoſiæ Epiſc. Mileti,
Qui tantæ virtuti, tot honorum appellationibus
Pár Calamus?
Non vna æquabat meritum dignitas;
Nec vnius exæquabit ſtylus laudem.
Ingenribus animi dotibus, egregia fama,
Purpuræ prælusit.
Hoc illi ad gloriam (promeruit.
Maturo contigiſſe, quod in ipſa æui florentis acerbitate
Innocent. VII. Greg. XII. Alexandro V. Ioanni XXIII.
Quos ipſe Pontifices Maximos eſt emenſus,
Summam indolem, ingenium, fidem probauit.
Vidit Gallia Tráſalpina ad ipsá ſuadæ medullá perorantẽ
Eloquentiæ rore, ac melle maduiſſe ſua lilia.
Vidit Ciſalpina.
Ad ardoré dictionis Calentes irarũ impetus deſerbuiſſe.
Videre alio calentes ſole terræ (luſtrantem.
Romani Cœli ſolem Orbem egregijs legationibus col-
Poſtremo tot functus laboribus, defunctus vita,
Veræ laudis iter ſua per imitamenta Poſteritati legauit.
Orbi famam, Cœlo ſpiritum.

## *Elog. VIII.*

HEnricus Caracciolus, Viola Ioannis filius,
Primus Ieracenſium Comes,
Magnus Regni Camerarius,
Regiæ Aulæ Præfectus,
Exerto Vir ingenio, animo ingens, pace belloque clarus.
Meritorum hi tituli, Virtutis Semina, gloriarum ſegmina,
Videre hunc Rhegini, Locrenſes, Brutij,
In acie, in hoſtes magnum.
Regnum hoc Neapolitanum illi debet, quod ſtet.
Pro aris, pro focis, pro templis caput deuouit ſuum:
Nō ſemel eſt armis tutatus, quod ſemper ornauit moribus
Ioannæ Secundæ in paucis carus.
Illam in Galliam Comitatus,
Ab emminētibus Regiæ ceruici Pānonicis armis eripuit
Auream promeritus coronam, non quernam,
Qui Reginam ſeruauerat, non ciuem.
Illa liberatorem ſatis habuit liberaliter:
Opibus, præfecturis, titulis cumulauit,
Age modo Siren, Maro,
Quorum hic vrnas, cineres, manes,
Ab hoſtium irruptione ſeruauit,
Optimi ducis acerrimi bellatoris laudes,
Immortali carmine,
Ad clepſydram æternitatis concinite

## *Elog. IX.*

OTtino Caracciolo Neocaſtrenſium Comiti,
Magno Regni Cancellario,

Cre-

Creſcentis Lunæ equiti, ſoli equitum,
Militatis animi vigor, ſpirituum altitudo,
Acre ingenium, pectus ad vtramque fortunam compoſitũ,
Immortale decus adſtruant.
Spectata Ladiſlao difficillima belli alea fides,
Quem clade Andegauenſi ſtrenue tutatur:
Regi clypeus, enſis hoſtibus.
At cadit ipſe in hoſtium manibus.
Indignum ſeruitute caput,
Quod non vna condecorabat Laurea.
Regni Inſulis Ioannæ delatis
Ingenium, ſtudium in Reginam deflexit,
Eo genio, vt bis eam in libertatem aſſeruerit:
Semel è ſæua Barbonij tyrannide,
Iterum è Capuana Arce.
Libertati Reges, libertatem Regibus reſtituit.
Eò autem meritum, potentia excreuere;
Vt cuncta propè pacis, ac belli Conſilia ſolus re-
Infra nomen Rex. (geret,
Elata triſti funere Ioanna,
Effertur ipſe ad Interregni faſces.
Nec extinguitur fides in extinctis Reginæ cineribus.
Seruata Renato Andegauenſi per ſummum diſcrimen
Regia Inſula.
Promeritus ipſe Regum faſces, qui Reges fecit.

## *Elog. X.*

PHilippus Caracciolus Viola Ioannis filius,
Henrici Ieracenſium Comitis germanus frater;
Regiæ Seneſcallus, Prætor Lucaniæ;

An in

An in Principe fide, an Principum gratia magis inclaruit ?
Hic ille eſt qui ſuæ tuendæ dignitatis ſtudio,
Adeò exarſit, vt vel ipſo Ladiſlao Rege ſpectante,
Magnum Seneſcallum Itè vulnerauerit.
Fulminat exerto enſe in ipſo Parthenopei Iouis conſpe-
Vt qui Regis purpuram, ac optimi Ducis famá (ctu:
Nimis diſerta lingua cruentauerat,
Suomet ſanguine piaculum expiaret.
Nec ſæuo illo vulnere occumbis Acciaiole:
Vt infractæ virtutis viuum eſſes, ac περιπατοῦ trophæum.
Solerti excultoque ingenio prouincijs obeundis.
A Ioanna I. ad Bonifacium IX. mittitur caduceator:
Armis innutritus, paci litat, militat Marti.
Ob inſignem nauatam operam,
Vtrinque gratiam refert. Oppida, titulos;
Ceu extincti, deuinctique belli exuuias.
Viuet eximiæ huiuſce virtutis recordatio,
Quoad ipſa virtus vixerit.

## *Elog. XI.*

AVgeat pulcherrimo virtutum ſimulacro
Inclytam Heroum Panegyrini
Nicolaus Caracciolus Viola, Philippi filius,
Regũ pupilla. Regni præſidiũ, ſuæ Gentis lumen, columẽ,
Secundis domi: foriſque euentibus nulli ſecundus.
Conſenuit inter militiæ decora,
Quo auſpice militaris diſciplina repubuit.
Poſita rerum Ioanna Prima,
Exercitus Imperator indomito vigore animi
Siciliæ perduelles edomuit.

Nulla

Nulla iſthæc inumbrabit obliuio trophæa,
Quæ ad liquidiſſima Aethnæ incendia ſatis claruere.
Sub Carolo Tertio. (functus
Equitatus Prefecturam, fortiſſimus equitũ, promeruit
Ad francorum Regem, Comitem Armignac,
Ac plerofque Europæ Principum inſigni legatione per-
Inerat ori Pitho, Mars pectori.
Poſtremò, Ladiſlao Rege
Bonis pacis artibus belli inſignia cohoneſtauit;
Non tàm ſuis Regibus carus, quam ſua luce clarus.
Plura vtraque manu bona cumularunt
Virtus, fortuna
Illud firmius, auguſtius.
Famæ perennitas.

## *Elog. XII.*

GValterius Caracciolus Nicolai filius,
Regiæ Aulæ Præfectus,
Auitæ virtutis ex aſſe hæres.
Rerum ſummam ſummæ notæ Viro,
Alcidi Athlas commendauit Ladiſlaus.
Ampliſſimo pacis, ac militiæ iure Regnum inuiſit.
Dignitatis faſcibus non ad diſcinctam morum licentiam,
Ad religanda illata publicæ rei vulnera vſus,
Haud minorem à Ioanna gratiam iniit,
Maiora obiuit ſumma indole munia.
Regia Cumulatur munificentia ad inuidiam.
Viſa eſt pretioſum fortunæ exuuium
Virtus induiſſe.
Poſt Reginæ fatum,

Felici

Felici Regni Neapolitani fato ſexdecem Vir,
Aſſertum ſumma conſtantia diadema
Andegauenſi impoſuit:
Laurea ipſo donandus Apollinari.

## *Elog. XIII.*

VIle tibi atramentum, papyrus,
Ciarletta Caracciole.
Adamas, iaſpis tuum exprimant nomen,
Heroum gemma.
Virtutum numeris felix, rerum geſtarú numero inclitus.
Circumtuliſti in perduelles ſigna Imperator:
Trophæa retuliſti victor.
Otium Imperio peperiſti, tibi decus.
Auro, copijs floruiſti ad inuidiam;
Nempe vt peregrinas virtutum gemmas auro religares,
Regnum fouiſti, fauiſti Regibus.
Ope, opibus.
Regij Aerarij inopiam ſubleuaſti tuo ære.
Ad monimentum munificentiæ, ære perennius.
Attulit, abſtulit Andegauentibus Regnum fortuna:
Nempè amat ipſa vt hamet,
In tuæ Gentis capita Aragonenſis hæc procella detonuit
Te non regia Laurus, ſeruauere mores regij.
Perſtrinxiſti fotunæ aciem nimia tua luce.
Non vidit illa. luſiſſet, læſiſſet.
Expertus Alphonſi humanitatem
Quia virtus vel in hoſtibus admirabilis;
Abi modò, Heros magnanimè,
Curru vectus aureo,

Mo-

Moderatio, munificentia, pietas
Cœlo tibi triumphum allaborant.

## *Elog. XIV.*

R Iccardus Caracciolus,
Supremus Hieroſolymitani Ordinis Moderator,
Gemina floruit laude ad miraculum,
Militiæ, togæ.
Romanæ Bonifacij Pontificis Aulæ Præfectus,
Romanos tenuit mores, non aulicos.
Florentiſſimas Italiæ Reſp: Venetam, Senenſem,
Acerbiſsimo Marte diſſentientes, victrici ſuada com-
Reſtincta bellorum fax poſuit.
Lucem fecit non ini luculentam.
Poſtremò per omnes honorum gradus
Ad ſummum Rhodiorum Equitum Imperium
Non vulgi aura, non aurum, euexit virtus ardens.
Crucis teſſeram, diuini ſanguinis vermiculatam minio,
Rerum geſtarum gloria laureauit.
Viſa eſt fulgentiſsimo hoc ſole
Thrax luna deliquium pati.
Salue, Heros magnanime,
Afferat virtus adamantino immortalitatis Templo
Adamatum terris Nomen.

## *Elog. XV.*

HAeret hærebit ſemper
Bellona Carracciola,
Clariſsima Principis Melphitanorum filia,
Infinitæ poſteritatis memoriæ
Robur illud tui pectoris adamantinum,
Ac maris animi vis ardens.
Ingens tibi, ac ſupra fœminarum ingenium,
Quæ tela, non telas, non acus, & ſpecula
Arcus, & ſpicula meditabaris. (cis elanguit:
Nullo ardentiſsimi ſolis æſtu flos ille accerrimæ bellatri-
Cuius acrior inflammabat pectus æſtus gloriæ.
Eximium formæ, flauique capillamenti decus,
Quod adflauerat Venus ipſa,
Iuuit decoro puluere fœdaſſe.
Immaduit ſæpe ſudore multò illa genarum purpura;
Maduere ſæpius campi cruore hoſtium.
Porrò tua manu, ferroque cadere
Vel fortiſsimis Ducibus pulchrum foret,
Pulcherrima ac fortiſsima Heroina.
Age, ſumma temporum caligo tenebris obuoluit
Inclitum Nomen:
Vt Cœlo tantum ſcriberetur auro, adamante.

## *Elog. XVI.*

DOmitio Caracciolo Ciarlettæ filio,
Regij Armellini Ordinis Equiti,
Lectiſsimo tuæ Gentis flori,

Peri-

Peritia,& fortuna belli claro;
Aude calame meritam laudem attexere.
Adflauit regio pectori robur,aut Mars,aut Pater:
Patuit Ferdinando Regi ad armorum fulgorem
Inuicti Ducis fortitudo.
Credidit ſupremum militiæ imperium:
Deerat nempe acerrimæ virtuti Marathon,
Quæ ipſemet ſibi laudis theatrum.
Apud Fridericum ſummo loco.
A ſupremis belli cōſilijs,Calabriæ Præſes,Rector militiæ,
Aequè pacis,ac belli ſciens. (ſalic
Cum iura diceret,Aſtræe
Cum pugnaret,Bellonæ enſem euibrabat.
Canant reliquas laudes
Conſilium ſolerti,felicitas,
Et cum his fama,cum ſeculis victura.

## Elog. XVII.

AGe nunc facundia
Accede ad inſignem Purpuram Cominus,
Tui periculum factura ad tantæ lucis Iubar.
Hic Ille eſt Marinus Cardinalis Caracciolus,
Cuius innuiſſe inclytum nomen,dilaudaſſe mores eſt,
Flos Principum,Europæ Caduceator,& Genius.
Vi mentis bello,& pace conſpicuus,
Pacatæ,turbatæque Aulæ Ianus,
Vtrumque tempus ſapientiſsime adminiſtrauit.
A Sfortianis ad Pontificem allegatus,
A Pontifice ad Carolum Cæſarem,
Ab hoc ad Henricum Gallorum Regem,

Poſteritati prætulit ad gloriam.
Hoc fonte Abellinenſiũ Principes Genus deriuarunt ſuũ.
Hauſit, auxit auitum decus inclyta Progenies;
Fecitque lucem, vmbramque Atauis.
Perſpectæ Friderico Cæſari ipſo flore ætatis clar. Iuuenis
Fides, Conſtantia,
Publicis tabulis eximia laude cumulantur.
Præteruehit virtus ignea Cœli curſum;
Nec æui expectanda periodus, vbi indoles maturuit.
Sat tibi, Philippe fortiſſime, incorruptũ Cæſaris teſtimoniũ
Sat datum faſtis nomen.
Ille ætatis ineuntis incrementa litteris conſignauit.
Tu illuſtria maturioris æui monumenta æternitati.
Vtraque concepit admiratio.
Excipiet æmula Poſteritas.

## *Elog.* IV.

Effulgeat clariſſimo in hoc Heroum Choro
Illuſtre Sydus,
Ioannes Caracciolus Viola eximij Vir ſpiritus.
Virtus, animus, conſilium illi ſupra hominem,
Quam rerum geſtarum gloriam terris diſſeminauerat
Gens Caracciola,
Excepere nunc maria,
Maritimæ Claſſi, quam Reginarum ornatiſſima Ioanna
In Pannonios adornauerat,
Præficitur Ioannes.
Quid Claſſis illa metueret,
Quæ tanti Ducis fortunam vehebat?
Vngarici vim impetus ceu ingens ſcopulus fregit:
In-

Infractus ipſe periculis;
Viſus adornando Generi,ac nomini,
Purpuram,geminaſque è mari, cui præerat,expiſcari.
Nec deeſſe illi,inflando famæ lituo,aura poterat,
Qui iura ventis dabat ſua Claſſe.
Remetitur emenſum æquor gloria circumfluus;
Sequuntur admiratio,fauor.
Aſſeruit namque Ioannæ Regnum;Regnò pacem,
Paci decus.
Nobiliſſima triumphis hiſce area ſeſe explicet
Adriæ ſinus.
Vel in ipſo pelago palmas habuit,quas demeteret

## *Elog. V.*

BErnardus excelſiſs. virtutis Card. Caracciolus,
Qui primus è ſua Gente in Purpuram euaſit,
Inſtaurata nominis memoria.
Debitum decus perſoluat grata Poſteritas.
Parthenope dedit cunabula,
Indolem Genus,artes bonas ingenium:
Ampliſſimam Inſulam Eugenius,Theatrum Vrbs,Orbis.
Ad amæniſſimum doctrinæ ſplendorem,ad famæ auram
Ad ſudorum riuulos roſeum illud Romanæ Purpuræ de-
Singulari munificentia. cus effloruit.
Purpureus quidem ſibi,cæteris aureus.
In negotijs obeundis.explicandis,
Quà Conſiliorum pondus, quà ingenij celeritas valuit.
In grauiſſimarum rerum momentis lente feſtinus.
Salue Princeps optimè,lux Generis,nitor Purpuræ.
Supremã tibi Vaticani fauor vaticinabatur Dignitatẽ.
Tu

Tu iuſta gloria plenus, potiris Cœlo;
Vt ſummæ Virtuti, non ſummæ Dignitati
Veneratio exhiberetur.

## *Elog. VI.*

NEctat iam auream hanc Heroum Seriem
Venerabilis memoria
Nicolai Caraccioli Cardinalis, & Mamertini Hierarchæ.
Cui inter tot Generis, ac honorum appellationes,
Potior innocentia, ac morum fama.
Nō tàm Prædicatorū Ordinis lacernā induit prætextatus.
Quàm in voluptates, genium, illecebras,
Sagum, bello implacabili.
Nec deerat inflāmando pectori è flagranti Dominici Ca-
Ampliſſimus ille natalium fulgor (nicula fax.
Obſcura ac paupere cellula luce claruit puriore.
Nempè quorū lateri adhæret, latere non ſinit inclyta vir-
Illibatæ Virginis illius Senenſis (tus.
Excepit aure labeculas, cōcepit pectore vim Numinis;
Ad ſupremum ſui Ordinis faſtigium pleno virtutum gradu
Parentis Parens. (graſſatus.
Mox rapitur ad Inſulas,
Suorum decorum minio, ac ſucco Tyrio bis tinctas,
Legatum Reges Neapolitani, ac Veneti ſuſpexere;
Senſere ineluctabilem vim eloquentiæ,
Cui ab animo ardor, à Purpura color inerat.
Tu Præſul optime,
Ad hunc gloriarum cumulum laureas addis nobiliores,
Pietatis laude.
Dignum Cœlo Caput,
Quod Religio ſplendidius religat, quam Vitta;

## Elog. VII.

CONradus Card. Caracciolus, S. R.E. Camerarius,
Gradenſis Patriarchá, Arch. Nicoſiæ Epiſc. Mileti,
Qui tantæ virtuti, tot honorum appellationibus
Pár Cálamus?
Non vna æquabat meritum dignitas;
Nec vnus exæquabit ſtylus laudem.
Ingenribus animi dotibus, egregia fama;
Purpuræ prælusit.
Hoc illi ad gloriam (promeruit.
Maturo contigiſſe, quod in ipſa æui florentis acerbitate
Innocent. VII. Greg. XII. Alexandro V. Ioanni XXIII.
Quos ipſe Pontifices Maximos eſt emenſus,
Summam indólem, ingenium, fidem probauit.
Vidit Gallia Tráſalpina ad ipsá ſuadæ medullá perorantē
Eloquentiæ rore, ac melle maduiſſe ſua lilia.
Vidit Ciſalpina.
Ad ardoré dictionis Calentes irarū impetus deferbuiſſe.
Videre alio calentes ſole terræ (luſtrantem.
Romani Cœli ſolem Orbem egregijs legationibus col-
Poſtremo tot functus laboribus, defunctus vita,
Veræ laudis iter ſua per imitamenta Poſteritati legauit.
Orbi famam, Cœlo ſpiritum.

## *Elog. VIII.*

HEnricus Caracciolus,Viola Ioannis filius,
Primus Ieracenſium Comes,
Magnus Regni Camerarius,
Regiæ Aulæ Præfectus,
Exerto Vir ingenio,animo ingens,pace belloque clarus.
Meritorum hi tituli,Virtutis Semina,gloriarum ſegmina,
Videre hunc Rhegini,Locrenſes,Brutij,
In acie,in hoſtes magnum.
Regnum hoc Neapolitanum illi debet,quod ſtet.
Pro aris,pro focis,pro templis caput deuouit ſuum:
Nō ſemel eſt armis tutatus,quod ſemper ornauit moribus
Ioannæ Secundæ in paucis carus.
Illam in Galliam Comitatus,
Ab emminētibus Regiæ ceruici Pānonicis armis eripuit
Auream promeritus coronam,non quernam,
Qui Reginam ſeruauerat,non ciuem,
Illa liberatorem ſatis habuit liberaliter:
Opibus,præfecturis,titulis cumulauit,
Age modo Siren,Maro,
Quorum hic vrnas,cineres,manes,
Ab hoſtium irruptione ſeruauit,
Optimi ducis acerrimi bellatoris laudes,
Immortali carmine,
Ad clepſydram æternitatis concinite.

## *Elog. IX.*

OTtino Caracciolo Neocaſtrenſium Comiti,
Magno Regni Cancellario,

Cre-

Creſcentis Lunæ equiti, ſoli equitum,
Militatis animi vigor, ſpirituum altitudo,
Acre ingenium, pectus ad vtramque fortunam compoſitũ,
Immortale decus adſtruant.
Spectata Ladiſlao difficillima belli alea fides,
Quem clade Andegauenſi ſtrenuè tutatur:
Regi clypeus, enſis hoſtibus.
At cadit ipſe in hoſtium manibus.
Indignum ſeruitute caput,
Quod non vna condecorabat Laurea.
Regni Inſulis Ioannæ delatis
Ingenium, ſtudium in Reginam deflexit,
Eo genio, vt bis eam in libertatem aſſeruerit:
Semel è ſæua Barbonij tyrannide,
Iterum è Capuana Arce.
Libertati Reges, libertatem Regibus reſtituit.
Eò autem meritum, potentia excreuere;
Vt cuncta propè pacis, ac belli Conſilia ſolus re-
Infra nomen Rex. (geret,
Elata triſti funere Ioanna,
Effertur ipſe ad Interregni faſces.
Nec extinguitur fides in extinctis Reginæ cineribus.
Seruata Renato Andegauenſi per ſummum diſcrimen
Regia Infula.
Promeritus ipſe Regum faſces, qui Reges fecit.

## *Elog. X.*

PHilippus Caracciolus Viola Ioannis filius,
Henrici Ieracenſium Comitis germanus frater;
Regiæ Seneſcallus, Prætor Lucaniæ;

An in

An in Principe fide, an Principum gratia magis inclaruit ?
Hic ille eſt qui ſuæ tuendæ dignitatis ſtudio,
Adeò exarſit, vt vel ipſo Ladiſlao Rege ſpectante,
Magnum Seneſcallum ītē vulnerauerit.
Fulminat exerto enſe in ipſo Parthenopęi Iouis conſpe-
Vt qui Regis purpuram, ac optimi Ducis famā (ctu:
Nimis diſerta lingua cruentauerat,
Suomet ſanguine piaculum expiaret.
Nec ſæuo illo vulnere occumbis Acciaiole:
Vt infractæ virtutis viuum eſſes, ac περιπατοῦ trophæum.
Solerti excultoque ingenio prouincijs obeundis.
A Ioanna I. ad Bonifacium IX. mittitur caduceator:
Armis innutritus, paci litat militat Marti.
Ob inſignem nauatam operam,
Vtrinque gratiam refert. Oppida, titulos;
Ceu extincti, deuinctique belli exuuias.
Viuet eximiæ huiuſce virtutis recordatio,
Quoad ipſa virtus vixerit.

## *Elog. XI.*

AVgeat pulcherrimo virtutum ſimulacro
Inclytam Heroum Panegyrim
Nicolaus Caracciolus Viola, Philippi filius,
Regū pupilla. Regni præſidiū, ſuæ Gentis lumen, columē,
Secundis domi forisque euentibus nulli ſecundus.
Conſenuit inter militiæ decora,
Quo auſpice militaris diſciplina repubuit:
Poſita rerum Ioanna Prima,
Exercitus Imperator indomito vigore animi
Siciliæ perduelles edomuit.

Nulla

Nulla iſthæc inumbrabit obliuio trophæa,
Quæ ad liquidiſſima Aethnæ incendia ſatis claruere.
Sub Carolo Tertio. (functus
Equitatus Prefecturam, fortiſſimus equitũ, promeruit
Ad francorum Regem, Comitem Armignac,
Ac plerosque Europæ Principum inſigni legatione per-
Inerat ori Pitho, Mars pectori.
Poſtremò, Ladiſlao Rege
Bonis pacis artibus belli inſignia cohoneſtauit;
Non tàm ſuis Regibus carus, quam ſua luce clarus.
Plura vtraque manu bona cumularunt
Virtus, fortuna
Illud firmius, auguſtius,
Famæ perennitas,

## *Elog. XII.*

GValterius Caracciolus Nicolai filius,
Regiæ Aulæ Præfectus,
Auitæ virtutis ex aſſe hæres.
Rerum ſummam ſummæ notæ Viro,
Alcidi Athlas commendauit Ladiſlaus.
Ampliſſimo pacis, ac militiæ iure Regnum inuiſit.
Dignitatis faſcibus non ad diſcinctam morum licentiam,
Ad religanda illata publicæ rei vulnera vſus,
Haud minorem à Ioanna gratiam inijt,
Maiora obiuit ſumma indole munia.
Regia Cumulatur munificentia ad inuidiam;
Viſa eſt pretioſum fortunæ exuuium
Virtus induiſſe.
Poſt Reginæ fatum,

Felici

Felici Regni Neapolitani fato ſexdecem Vir,
Aſſertum ſumma conſtantia diadema
Andegauenſi impoſuit:
Laurea ipſo donandus Apollinari.

## *Elog. XIII.*

Vile tibi atramentum, papyrus,
Ciarletta Caracciole.
Adamas, iaſpis tuum exprimant nomen,
Heroum gemma.
Virtutum numeris felix, rerum geſtarũ numero inclitus,
Circumtuliſti in perduelles ſigna Imperator:
Trophæa retuliſti victor.
Otium Imperio peperiſti, tibi decus,
Auro, copijs floruiſti ad inuidiam:
Nempe vt peregrinas virtutum gemmas auro religares,
Regnum fouiſti, fauiſti Regibus.
Ope, opibus.
Regij Aerarij inopiam ſubleuaſti tuo ære.
Ad monimentum munificentiæ, ære perennius.
Attulit, abſtulit Andegauentibus Regnum fortuna:
Nempè amat ipſa vt hamet,
In tuæ Gentis capita Aragonenſis hæc procella detonuit
Te non regia Laurus, ſeruauere mores regij.
Perſtrinxiſti fotunæ aciem nimia tua luce.
Non vidit illa. luſiſſet, læſiſſet.
Expertus Alphonſi humanitatem
Quia virtus vel in hoſtibus admirabilis;
Abi modò, Heros magnanimè,
Curru vectus aureo,

Mo-

Moderatio, munificentia, pietas
Cœlo tibi triumphum allaborant.

## *Elog. XIV.*

R Iccardus Caracciolus,
Supremus Hieroſolymitani Ordinis Moderator,
Gemina floruit laude ad miraculum,
Militiæ, togæ.
Romanæ Bonifacij Pontificis Aulæ Præfectus,
Romanos tenuit mores, non aulicos.
Florentiſſimas Italiæ Reſp: Venetam, Senenſem,
Acerbiſsimo Marte diſſentientes, victrici ſuada com-
Reſtincta bellorum fax poſuit.
Lucem fecit non ini luculentam.
Poſtremò per omnes honorum gradus
Ad ſummum Rhodiorum Equitum Imperium
Non vulgi aura, non aurum, euexit virtus ardens.
Crucis teſſeram, diuini ſanguinis vermiculatam minio,
Rerum geſtarum gloria laureauit.
Viſa eſt fulgentiſsimo hoc ſole
Thrax luna deliquium pati.
Salue, Heros magnanime,
Afferat virtus adamantino immortalitatis Templo
Adamatum terris Nomen.

## *Elog. XV.*

HAeret hærebit ſemper
Bellona Carracciola,
Clariſsima Principis Melphitanorum filia,
Infinitæ poſteritatis memoriæ
Robur illud tui pectoris adamantinum,
Ac maris animi vis ardens.
Ingens tibi, ac ſupra fœmineum ingenium;
Quæ tela, non telas, non acus, & ſpecula
Arcus, & ſpicula meditabaris.
Nullo ardentiſsimi ſolis æſtu flos ille accerrimæ bellatricis elanguit;
Cuius acrior inflammabat pectus æſtus gloriæ.
Eximium formæ, flauique capillamenti decus,
Quod adflauerat Venus ipſa,
Iuuit decoro puluere fœdaſſe.
Immaduit ſæpe ſudore multò illa genarum purpura;
Maduere ſæpius campi cruore hoſtium.
Porrò tua manu ferroque cadere
Vel fortiſsimis Ducibus pulchrum foret,
Pulcherrima ac fortiſsima Heroina.
Age, ſumma temporum caligo tenebris obuoluit
Inclitum Nomen:
Vt Cœlo tantum ſcriberetur auro, adamante.

## *Elog. XVI.*

DOmitio Caracciolo Ciarlettæ filio,
Regij Armellini Ordinis Equiti,
Lectiſsimo ſuæ Gentis flori,

Peri-

Peritia,& fortuna belli claro,
Aude calame meritam laudem attexere.
Adflauit regio pectori robur,aut Mars,aut Pater;
Patuit Ferdinando Regi ad armorum fulgorem
Inuicti Ducis fortitudo.
Credidit ſupremum militiæ imperium;
Deerat nempè acerrimæ virtuti Marathon,
Quæ ipſamet ſibi laudis theatrum.
Apud Fridericum ſummo loco.
A ſupremis belli cõſilijs,Calabriæ Præſes,Rector militiæ,
Aequè pacis,ac belli ſciens. (felic
Cum iura diceret,Aſtrææ
Cum pugnaret,Bellonæ enſem euibrabat.
Canant reliquas laudes
Conſilium ſolerti ,felicitas,
Et cum his fama,cum ſeculis victura.

## *Elog. XVII.*

AGe nunc facundia
Accede ad inſignem Purpuram Cominus,
Tui periculum factura ad tantæ lucis Iubar.
Hic Ille eſt Marinus Cardinalis Caracciolus,
Cuius innuiſſe inclytum nomen,dilaudaſſe mores eſt,
Flos Principum,Europæ Caduceator,& Genius.
Vi mentis bello,& pace conſpicuus,
Pacatæ,turbatæque Aulæ Ianus,
Vtrumque tempus ſapientiſsime adminiſtrauit.
A Sfortianis ad Pontificem allegatus,
A Pontifice ad Carolum Cæſarem,
Ab hoc ad Henricum Gallorum Regem,

Orbem legationibus,ac faſcibus peragrauit.
Fortuna,ac virtute Comite .
Conciliatis Cæſari Venetis,
Adblanditus eius opera eſt Regnatrici Aquilæ leo.
Fœderatis in hoſtem vnguibus .
Galliam aurea vi facundiæ exarmauit,
Italus Hercules.
Quæ occaluerant tractando ferro dexteræ,
Iunxere pulchra pace diſsidentes diù Principes.
Eiecto ad Romanum Apicem Carolo Auguſto,
Aquiſgrani coronam ipſe impoſuit,
Quam reddidit ſua manu pretioſiorem,
Lydo Rege felicior .
Omenque Cæſarj fuit inaugurari ab ea dextera.
Purpura inſignitus inter Regum purpuras diù verſatus.
Prætexitque auro morum,ſegmentiſque gloriæ.
Inſubriæ Cæſari aſſerendæ diù egregie deſudauit:
Cuius cum regeret ipſe vices occubuit;
Sepultuſque inibi ſuo veluti triumpho eſt .
Monumentum cum ad omnem magnificentiam
Excitauerit frater;
Nihil in eo pretioſius magno Cinere .

## *Elog. XVIII.*

DElibet Calamus
Ioannis Baptiſtæ Caraccioli,Galerati Comitis laudes
Quibus nec illibatus flos eloquentiæ ſatis eſſet .
Parce,Heros,ſi parcè dilaudamus.
Dignus,cui Marinus ille,Purpuratorum lux,frater eſſet,
Dignus ille,cui tu frater,

Mul-

Multum tuo nomini ſplendoris
Illa fraternæ Purpuræ lux attulit,
Multum illa à tua indole lucis hauſit.
Creuere tibi è fratris ære opes,
Cui haud curta virtutum ſupellex.
Aragonenſium amores, deliciæ.
Fortunæ tuæ faber Alphonſus.
Iam Cœlo certaret opus,
Si ipſamet cum Aragonenſibus fortuna non decertaſſet.
Mutata rerum facie
Supremo in Foro Iulij Imperio,
Felicia tua arma Venetis militarunt:
Exarſit hic diuina tua virtus acrius;
Nempè ſol, cum leonem premit, ardentior.
Demum res fortiter geſtas pietas cumulauit.
Sepulchrum fratri tibi immortalitatem.
Excitaſti.

## *Elog. XIX.*

Domitius Caracciolus Galerati Comes, Atripaldenſiũ Dux primus,
Spectatæ in Principem fidei,
Conſilio, manu ſtrenuus.
Samnium centuriato milite eximia vi bellica tutatur.
Præcluſum hoſtibus iter ſtrauit ſibi ad gloriam.
Oppida in fide retinuit, perduelles ſtrauit;
Vt quæ in galli viſceribus inuenitur gemma,
Sui Principis coronæ insereret.
Viſa eſt longiſsimo mari vecta Turcarum Claſsis
In portu naufraga.
Detonuit quippe, fulgurauit è littore Domitius

Ex eluſis Turcarum arcubus Irim compoſuit,
Samnio ſecuritatem, Regi pacem peperit.
Solerti bellatoris ingenio Ciuica non defuit laurea.
Summæ fortunæ modeſtiam adhibuit ſociam,
Splendori frugalitatem.
Vtramque lauream, bellicam, ciuicam,
Pietate laureauit:
Ad B. Andreæ Auellini adhortamenta, incitamenta,
Quæ ſcripto, verbo hauſit.

## *Elog. XX.*

MArinus Caracciolus, Domitij filius,
Abellinenſiũ Princeps I. Atripaldenſiũ Dux II. Galerati (Cômes IV.
Aurea laudum ſeges ingenijs;
Auitæ magnitudinis exemplar poſteris;
Qui cũcta belli, paciſque decora vnus expreſsit ad vnguẽ
Bello Actiaco.
Lectiſsima ſuorũ manu nec auro parcit, nec ſanguini
Incaluit æſtu gloriæ pectus
In illo maris, calidæque pugnæ æſtu;
Maria, lunamque cruentauit Marinus,
Sole Auſtriaco aurigante.
Impio ſanguine piam lauream irrigauit.
Sit tibi pro curru aureo Triremis
Princeps fortiſsime.
Det vela ad curſum gloriæ ſempiternum fama;
Porrò ad tuarum laudum cumulum,
Sat filium habuiſſe Camillum.

Elog.

# *Elog. XXI.*

AGnoſco, Heros fortiſsime,
In hac ſpectate frontis, Auguſtique oris maieſtate;
Martij vim ſpiritus, quam Bellona ipſa adflauit.
Agnoſco indolem, quæ inter arma adoleuit.
Ades igitur, Camille Caracciole, flos Italûm,
Romano Camillo par,
Romanorum nulli impar,
Te ipſo, ac fama tua maior,
Conſilio, manu, fortunâ, virtute bellica,
Extra omnem fortunæ aleam ponendus,
Qui periculoſam belli aleam toties ſubijſti:
Belgium, Auſtriam, Italiam,
Victorijs, ac laureatis faſcibus peragraſti.
Gallum trans Alpes terrore nominis continuiſti:
Vt ipſe in Gallia Ciſalpina palmas ferro victore demeteres.
Nec tráſalpina nobiliſsimę laureę lilia deeſſent.
Belga, Allobrox, Thrax, Venetus,
Adhuc ad Camilli nomen expallent:
Cuius ferro toties exhauſto ſanguine rubuerunt.
Villartius, Bullionius, Gonzaga Mauritius, Henricus,
Summa Ducum Capita;
Sibimet ipſis, ac fortunæ ſuæ effusè gratulantur,
Quod à te vinci, fugarique meruerint.
Triumphis hiſce æternum concinat pæana
Virtutum concentus, famæ lituus.
Supremis militiæ faſcibus, quos Cæſar deſtinauerat,
Inuidit fatum.
Cuius ipſe nominis immortalitate faſces protriuerat.
Fato hoſtis, fatum hoſtibus.

Iam, illuſtriora Cœli ſydera exornent
Decoram militari puluere Cæſariem.

## *Elog. XXII.*

Satis in hac ſpectabili vultus dignitate,
Vernantique oris pube,
Genus, indolem, vim bellicam expreſſimus
Domitij Caraccioli,
Marini filij, Camilli fratris;
Qui è Græco Aeacidum ſanguine
Romanos Scipiadum animos hauſit.
Obſtupuit Belgium,
Egregium Iuuenem, hoc flore ætatis,
Tam frigido, nubiloque Cœlo adeò incaluiſſe, inclaruiſſe.
Obſtupuit, procuſum inter Arctoas niues bellifulmen.
Iam quid ad perenniorem laudem luculentius?
Ne locum cederet hoſti victus,
Cadit ipſe hoſtia, & victima,
Septendecim exhauſtus aduerſo corpore vulneribus.
Nempè non vnus ſatis erat ad cognata ſydera
Magnæ Animæ exitus,
Quæ non vnum triuerat ad gloriam iter.
Subdracarum tela clypeo ſuſtinuit Alexander:
Huic pro clypeo pectus fuit;
Vterque obſtinatiſſimè de genu pugnauit.
Macte, fortiſſime Adoleſcens,
Creſcit Auguſte fronti
Ad Sauciati corporis clepſydram laurus nobiliſſima.
Illa pectori vulnera, ceu clariſſima ſydera,
Perennitatem nominis ominantur,

Porrò

Porrò,ſummo florentis æui mane occidis;
Reliquum diem in ipſa famæ æternitate exacturus.

## *Elog.* XXIII.

DOmitius Caracciolus,Iabellæ Marchio,
Magni Camilli Filius,
Eximia gentis Caracciolæ,at breuis lux:
Cui è bonis artibus,ingentique ingenio
Accerri mus ad gloriam impetus.
Bello ſubalpino Patrem ſequutus,
Sagum ſimul,& virilem togam induit,
Cumque vix primo flore pubeſceret indoles,
Ad maximi exemplũ Parentis iã virtus animi cõſenuerat
Videbatur impar animo ætas, par gloriæ animus.
Peracerbo Italiæ fato ſublato in Caſtris Camillo,
Supremos militiæ faſces ipſe iniuit.
Obiuitque ſimul funus,& munus Patris;
Nempè fœcundi magnorum Cineres.
At,heu breues Caroazidarum amores.
Præluxit tibi,Domiti ad virtutis iter
Fax illa belli Camillus
Tu dum celerrimè curſum gloriæ abſoluis,
Celerrimè vitæ metam attingis.
Nos tuarum laud ũm incrementa virtute
Non æuo metimur.
Flaueſcit in flaua Cæſarie virtutis ſeges.

# *LAVS DEO.*

ELEN-

# ELENCHVS
## ICONVM POETICARVM.
### LIBER PRIMVS
*Habet Heroicas Icones* XVIII.

Pauli Quarti Pont. Max.
Sixti Quinti Pont. Max.
Vrbani Octaui Pont. Max.
Caroli Magni Cæſaris.
Rodulphi Primi Cæſaris.
Caroli Quinti Cæſaris.
Philippi Secundi Hiſpaniarum Regis.
Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis.
Ioannis Auſtriaci Caroli Quinti Filij
Henrici Octaui Angliæ Regis.
Annæ Boleniæ Henrici Pellicis.
Eliſabethæ Angliæ Reginæ.
Alexandri Cardinalis Montâlti.
Petri Aloyſij Cardinalis Caraſæ.
Caroli Emmanuelis Sabaudi & Annibalis Pœni.
Andreæ Cantelmi virtute bellica clariſſimi.
Thomæ Mori Magni Angliæ Cancellarij.
Matthæi Cudneri Clerici Regularis.

# LIBER SECVNDVS

*Habet Icones Gentium* XVIII.

Itali.
Siculi.
Neapolitani.
Veneti.
Genuenſis.
Florentini.
Hiſpani.
Galli.
Germani.
Angli.
Poloni.
Turcæ.
Aethiopis.
Braſilienſis.
Indi.
Sinenſis.
Iberi Orientalis.
Pygmæi.

# LIBER TERTIVS.

## *Habet Icones Varias XVII.*

Europæ, geographicè, & hiſtoriographicè deſcriptæ.
Florentis Romæ.
Conſeneſcentis Romæ.
Romanæ Aulæ.
Aulicorum.
Malæ Conſcientiæ,
Granadillæ.
Ludi Trudicularis, vulgò, Trucco.
Herodiadis filiæ, ſiue Chorearum.
Equi, à Nealce pictore deſcripti.
Leonis, Androdi beneficio incolumis.
Luſciniæ.
Pauonis,
Catellæ.
Magnæ fortunæ ædificij.
Horologij mechanici in Calua emortuali.
Pſittaci.

# INDEX
## EPIGRAMMATVM.

Prior numerus Centuriam, Secundus epigramma deſignat.

### A

*ABraham filium immolat.* 3.22.
*Abſalon è quercu pendens.* 3. 40.41.
*Actius Sincerus Sannazarius.* 2.37.
*Adamante venenato obiecto quis moritur.* 3.50.
*Aedes Lauretana.* 1.33.34.35.36.
*D. Agathæ vbera præciduntur.* 1.87.
*Albricius Vetranæ Princeps.* 2.25.
*Alphonſus Drux Mutinenſium Capuccinus.* 2.11.
*Ambroſij Marchionis Spinulæ tumulus.* 2.88.
*D. Ambroſij in ore apes mellificant.* 1.52.
*Amoris diuini triumphus in Chriſti Domini*

mini natali: 1.1.
*Amor diuinus addicitur miniſterio Infantis Chriſti.* 1.2.
*Amor diuinus γλυκύπικρος.* 3.85.
*B.Andreas Auellinus.* 1.48.49.100.
*Andreæ de Rubeis tumulus.* 2.100.
*Angelorum exercitus in Dei natalibus.* 1.8.
*Anglorum Regina ad Batauos.* 2.10.
*D.D.Anna, & Ioachim in Deiparæ Nat.li.* 1.25.
*Anna Gallorum Regina.* 2.9.
*Anni ineuntis auſpicia.* 3.83.
*D.Antonius Patauinus propè maris littus declamat.* 1.71.
*Antonius Card.Barberinus fontem excitat.* 2.14.15.
*Antonius Carafa Dux Andriæ.* 2.23.
*Apollinis Simulacrum ad D.Benedicti aduentum ruit.* 1.65.
*D.Apolloniæ dentes euelluntur.* 1.93.
*Aſcanius Geſualdus Archiep. Barenſis.* 2.19.
*Aſtro-*

*Aſtrologus pauper.* 3.53.
*Aſtrologus Genethliacus perſtringitur.* 3.52.
*Aſtronomiæ nimium vacans moritur.* 3.51.
*Atramentum.* 3.80.
D. *Auguſtinus Eccleſiæ propugnator.* 1.53.
*Auis Paradiſi.* 3.70.
*Aula Cæſarum.* 3.61.

B

D. B*Abylæ catenæ.* 1.85.
B D. B*aſilij ſententia ſcribitur, re ſoluta Imperatoris manu.* 1.59
D. B*enedictus in Caſſino Monte.* 1.65.
*Idem comparatur Regibus.* 1.66.
*Idem per ſpinas volutatur.* 1.67.
B*ernardinus Regna. Marci Antonij de Rubeis funus canit.* 2.95.
*Bernardinus Scala vitas* SS. *Fulgentij, & Pulcheriæ ſcribit.* 2.

Bro-

*Bronenia laudatur.* 2.60.

C

C*Aietanus.* 195.96.97.
*Calamus.* 3.79.
*Caligulæ nauis à remora retardatur.* 3.74.
*Canis amicitiæ ſymbolum.* 3.70.
*Cantatrix Roma in Galliam concedit.* 2.74.
*Eadem moratur Romæ.* 2.75.
*Caroli Emmanuelis Sabaudiæ Ducis tumulus.* 2.87.
*D.Carolus Borromæus fiſtulæ ictu nil læditur.* 1.74.
*Capua.* 2.53.
*D.Catharinæ rota expeditur.* 1.86.
*Eiuſdem ceruix lacte manat.* 1.89.
*D.Catharina Senenſis cor cum Deo commutat.* 3.19.
*D.Cæcilia organum pulſat.* 1.92.
*Charta.* 3.78.

Chri-

*Chriſti Domini effigies ad Agabarum*. 1.41.
*Chriſtus D. inclinato capite tradidit ſpiritum*. 1.37.
*In Cœlum aſcendit*. 1.38.
*Chunegunda coniux, & Virgo*. 2.7.
*Ciceronis lingua acu confoditur*. 2.49.
*Circumciditur Deus Infans*. 1.12.
*D Clemens anchora mergitur*. 1.76.
*Cleopatra aſpidem alloquitur*. 3.95.
*Ad Clericos Regulares. Reſpicite volatilia cali*. 3.88.
*Et in illud conſiderate lilia agri*. 3.89.
*Conradinus gemma proditur*. 3.33.
*Conſtantinopolis*. 2.71.
*Conſtantinus Magnus templum D. Petro excitat*. 2.5.
*Idem Romam Romano Pontifici cedit*. 2.6.
*Idem ex infantum ſanguine balnea meditatur*. 3.29.
*Cornelius tacitus*. 2.41.

*Coruus D. Vincentij corpus tuetur.* 3.17
*Criſpus Salluſtius.* 2.39.
*Crucifixi aurea imago.* 3.3.
*Ex obore.* 3.4. *Ex electro.ibi.* 5.6.7.
*Crunnus Rex Nicephori caput pro cratere adhibet.* 3.30.

D

*DAuid Gygantem proſternit.* 3.23.
*Eiuſdem Lyra celebratur.* 2.2.
*Dedacus ſerſalis Archiep. Barenſis.* 2.20.
*Didaci Vargas funus.* 2.94.
*Defunctorum fidelium commemoratio.* 3.86.87.
*D. Dorothea flores Theophilo è Cælo mittit.* 1.70.
*Drepanum.* 2.57.

E

*ELeazarus ſuo ſepultus triumpho* 3.26.27.28.

*Eque-*

Equeſtres ludos legens. 3.67.
Equi Quirinales à Phidia, & Praxitele. 3.81.
Euchariſtiæ Sacramentum. 1.39.
Eudoxia peregrina Virgo, mox Imperatrix. 3.31.32.
D.Euſtachius Martyr. 1.78.79.80.81.
Exquilinæ niues Marianam Aedem deſcribunt, 1.28.29.30.

F

FAbritius Carafa Epiſc. Bitunt. Academiam Inflammatorum excitat. 2.18.
Ferdinandi Card. Auſtriaci tumulus, 2.86.
Ferraria. 2.65.
Florentia. 2.59.
D.Franciſca Romana. 3.21.
D.Franciſcus Lateranum fulcit. 1.82.
Eiuſdem ſtigmata. 1.69.
Eiuſdem effigies corallina. 3.9.

D. Franciſcus à Paula pallio fretum traijcit. 1.72.
Eiuſdem baculus. 1.7.3.
Franciſcus Card. Montaltus ad purpuram euehitur. 2.16.
Franciſcus Card. Barberinus. 2.13.
Franciſci Toralti tumulus. 2.97

G

GEmelli nati, denatique eodem die. 2.96.
Genua. 2.66.
Granadilla. 3.38.
D. Gregorius Magnus Columba dictante ſcribit. 1.55.
Idem columnæ indicio Pontifex renunciatur. 1.56.
Guiglielmus Vuardus ab Anglis pro ſle trucidatur. 3,98.

D. Hebæ pro tuēda Virginitate factum incomparabile. 3.18.
Hector Caraſa. 2.24.
Henricus Cæſar coniux, & Virgo. 2.7.
Henrici Guiſæ Ducis ſuga. 3.99. capitur. 100.
Heraclius Imperator Crucē geſtat. 3.12
Herodis in nece Infantū crudelitas 1.17.
D. Hieronymo Leo appingitur. 1.54.
Hippolytus de Conſtantio laudatur. 2.72.
Hiſpaniarum Regina. 2.8.
Homeri Effigies. 2.28.
Homerus, Virgilius, Taſſus vna in tabula. 2.27.
Homeri Ilias in nucis putamine. 3.77.
Horatius Flaccus. 2.25.
Horologium Schiotericum. 3.54.55.
Horologium mechanicum. 3.56.
Horologium mechanicū, & arenarium. 3.58.

*Horologium mechanicum, ſolarium, vitreum, hydraulicum.* 3.59.
*Horologium in ærei Leonis pectore.* 3.60.
*Horologium, in quo choreæ ducuntur:* 3.61.
*Horologium organum perſonans.* 3.62.
*Horologium Carolo quinto ſurripitur.* 3.75.

I

*D. IAnuarij Sanguis efferueſcit.* 1.64.
*Ianus breuis æui monitor.* 3.84.
*Ieiunium Sacrum.* 3.63.
*Imago ſeruatoris ad Agabarum.* 1.41.
*Imago, in qua Deus Infans, Mater, & Ioſeph.* 1.19.
*Imago, in qua Puer Ieſus cum Io. Baptiſta ludens.* 1.20.
SS. *Innocentum funera.* 1.16.18.
*Ioachim, & Anna in B.V. Natali.* 1.25
*Ioannes Auſtriacus Neapolitanos tumultus*

*multus componit.* 2.12,
D.*Ioannes Chriſoſtomus è feretro populum ſalutat.* 1.57.
D,*Ioannis Euangeliſtæ Aquila.* 1.51.
D.*Ioannes Baptiſta in ſinu matris exultat.* 1.44.
*Eidem caput præciditur.* 1.45.
D.*Ioſeph Chriſti Pater.* 1.42.43.
*Ioſephi Giaceti funus.* 2.90.91.
D.*Iſidoro orante arant Angeli.* 1.75.
*Iudas laqueo ſe ſuſpendit.* 3.42.43.44.45.
*Iulius Caſar commentarios ſcribit.* 2.38.
*Iuſti lypſij effigies.* 2.48.

L

L *Auretana Domus.* 1.33.34.35.36
*Leones Paulo Eremitarum Principi tumulum moliuntur.* 3.15.16.
*Lilium,& roſa.* 3.39.
*Lucanus.* 2.32.
D.*Lucia oculi.* 1.91.

*Lucius Florus.* 2.42.
*Lucretia Romana.* 3.94.
*Ludouicus Antinorus de ſuprema vitæ linea ad populum dicit.* 3.2.
*Ludouici Gallorum Regis tumulus.* 2.81.82.83.
*Lyra Dauidis.* 2.26.

M

M*Agdalena illachrymans.* 3.11.
*Eiuſdem effigies cerea.* 3.8.
*Eiuſdem effigies è Cleopatræ effigie.* 3.10.
*Magi Infantem Deum adorant.* 1.14.
*Mali Punici proſopopæia.* 3.76.
*Manſi Marchionis Funus.* 2.92.93.
*Mantua.* 2.64.
*Marci Antonij de Rubeis funus.* 2.95.
*D. Martini pallium.* 1.84.
*D. Maurus in Lacu.* 1.70.
*Mediolanum.* 2.68.
*Meſſana.* 2.56.
*Mons Agoniæ Ieſu.* 3.1.

Me-

*Monocodiata,ſiue auis Paradiſi.* 3.73.

N

N*Eapolis laudatur.* 2.52.
*D.Nicolai liquor.* 1.68.
*Niues Exquilinæ Summa æſtate.* 1.28. 29.30.
*Nominis Ieſu dulcedo.* 1.12.
*Nuptiæ Viri nobilis.* 2.73.

O

O*Rbis deſcribitur naſcente Deo,* 1.3.
*Ouidius Naſo.* 2.33.

P

P*Anormus.* 2.55.
*Pantheon Deiparæ, & Martyribus ſacrum.* 3.13.
*Papinius ſtatius.* 2.31.
*Pariſij.* 2.70.
*Paſſeris ſolitarij funus.* 3.75.
*Paſtores tranſeunt vſque Betheleem.* 1.

*Patauium.* 2.63.
D. *Paulinus ſeipſum Vuandalis vendit.* 1.62.
*Idem regios hortos colit.* 1.63.
D. *Paulus proſtratus, erectuſque.* 1.49
*Eiuſdem vis eloquentiæ.* 1.50.
D. *Paulo Eremitarum Principi Leones ſepulcrum effodiunt.* 3.15.
*Pauli Quinti Sacellū in exquilijs.* 1.30.
*Pellex aſpectu cadaueris conuertitur.* 3.69.
*Perſonatus.* 3.64.
*Petronius Arbiter.* 2.47.
D. *Petrus Apoſtolorum Princeps.* 1.47. 48.
*Petrus Aloyſius Carafa.* 2.17.
P. *Philippi Nerij Cordis palpitatio.* 3.20
*Pindarus.* 2.34.
*Plinius de naturali hiſtoria* 2.43.
*Plinius Nepos Traianum laudat.* 2.44.
*Pſittacus, pronuncians: Memento mori.* 3.73.
*Puer Ieſus circumciditur.* 1.12.

*Quin-*

Q

QVintinus ex ſabro ferrario inſignis pictor. 3.68.

R

RAphael Taurus comœdiam ſcribit. 2.77.
Richelij Cardinalis tumulus. 2.89.
Rodulphus Auſtriacus à pietate in Euchariſtiam Imper. 3.14.
D.Romanus elinguis canit, 1.77.
Roſa,& lilium. 3.40.
Roſarium Marianum. 1.31.

S

SApphò Poetria. 2.30.
Saxon hæreticus luſcus. 3.96.
Seneca ſibi mortem conſciſcit. 2.47.
Idem diuitias damnat opulentiſſimus 2.46.
Sigiſmundus Thadęus Epiſc. Caiacenſ. ab Orbis peregrinatione dilaudatur. 2.21.

Si-

*Simia acu pingens.* 3.91.
*Simia galerata.* 3.92.
*Simia micans digitis.* 3.90.
*Simia pingens.* 3.93.
*Soboles poſthuma.* 2.99.
*Sindon Chriſti Domini.* 1.40.
*Stella ſupra vbi erat Puer.* 1.15.
*D.Stephanus lapidatur.* 1.46.
*D.Stephani Vngarorum Regis incorrupta adhuc manus.* 1.83.
*D.Symeon ſtylita.* 1.86.

T

T*Arentum.* 2.54.
*Taurinum.* 2.69.
*D.Thereſia ſagitta ab Angelo transfigitur.* 1.94.
*Thomæ Aquinatis Sol.* 1.60.
*Eiuſdem in ſinu panis in roſas mutatur.* 1.61.
*Thomas Falcus Innocentum necem tragedia excipit.* 2.78.
*Thomæ Anelli Neapol tumulus.* 2.98.

*Titus liuius.* 2.40.
*Torquatus Taſſus.* 2.30.
*Triumphus diuini Amoris in Chriſti Domini natali.* 1.1.

V

*V*Alentis Imperatoris manus reſoluitur dum in D.Baſilium ſententiam ſcribit.* 1.59.
*Veneris ſimulacrum in fonte.* 3.82.
*Venetia.* 2.61.
*Verona.* 2.62.
*Vicentia.* 2.64.
D.*Vincentij corpus tuetur coruus.* 3.17.
*Vir Princeps ab aſſidua venatione occumbit.* 3.49.
*Virgilius Maro.* 2.29.
B.*Virginis conceptio.* 1.21.22.23. *Eiuſdem natalis dies.* 1.24. *Deum filium adorat.* 1.4. *pannis inuoluit.* ib. 5.6. *reclinat in præſepio.* 7. *exoſculatur.* 10. *Eius pulchritudo poſt Chriſtũ natum.* 11. *Recipitur Cęlo.* 26.27.
Eius

*Eius Roſarium*. 31. *Eius Aedes in Exquilijs.* 28. 29. 31.
*Virgo formoſiſſima fulmine moritur.* 3. 48.
*Virgo Cæſo crine Monaſterio ſe addicit* 3. 34. 35. 36.
*Vrbano Octauo P. M. Gratiarum actio pro Apotheoſi BB. Caietani Thienæi, & Andreæ Aurllini.* 2. 1.
*Idem bella gerit.* 2. 2.
*Eidem feſti ignes.* 2. 3. 4.
*Eiuſdem tumulus.* 2. 80.

A01
1465246

A01
1465246

A01 1465246